

ter diversum in genere moris ab obiecto peccati moralis. ¶ Roboratur hæc probatio: Nam iuxta Arist. in Predicam. magnum, & parvum non differunt specie: ergo nec distinguuntur in ratione obiecti.

Secundo. Actus bonus deliberatus, & indeliberatus possunt versari circa idem obiectum formaliter: ergo etiam actus malus v. g. infidelitatis deliberatus, & indeliberatus respiciunt idem obiectum formaliter. *Roboratur*: Nam actus charitatis regulatus per cognitionem fidei habet idem formaliter obiectum, ac actus regulatus per cognitionem claram, ergo pariter actus regulatus per cognitionem imperfectam, & perfectam habent idem formaliter obiectum, quoties tendunt ad idem obiectum materiale.

Tertio. Nam prædicti actus habent idem formaliter obiectum in esse physico: ergo etiam habent idem formaliter obiectum in esse moris. ¶ Adde: Peccatum mortale, & veniale solum differunt vel penes aversionem ab ultimo fine, quam importat peccatum mortale, non autem veniale; vel penes reatus pœnæ æternæ, & temporalis; vel penes exclusionem gratiæ, quam causat peccatum mortale, non autem veniale: sed omnia hæc distinctiva sunt secundaria, & supponunt tendentiam positivam ad obiectum distinctum rationi, quod est idem specie: ergo.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quod furtum grave, & leve eodem modo se habent in esse rei, ac furtum grave, & gravissimum, secus vero in esse moris. Et ratio distinctivus est: quia in esse rei, seu physico solum tendunt ad obiectum physice sumptum, quod non differunt formaliter, sive sit in parva, sive in magna; sive in gravissima quantitate. Cæterum in esse moris diverso modo se habent: nam furtum rei parvæ tendit persè ad illam prout non contrarium ultimo fini, & furtum rei gravis, & gravissimæ conveniunt in eo, quod tendunt ad talem materiam, ut contrarium ultimo fini. Et hoc sufficit, ut furtum grave, & gravissimum sint eiusdem speciei in esse moris, habeantque in hac linea idem obiectum formaliter, secus vero furtum grave, & leve. Per quod constat ad robur illud depromptum ex autoritate Aristot. quia tantum loquitur in linea physica.

Ad secundam probationem potest responderi primo negando antecedens, & falsitas illius potest colligi ex eo, quod actus virtuosus indeliberatus non potest producere virtutem, ut recte tradunt NN. Salmant. in hoc tract. disp. 4. num. 6. sicut nec actus deliberatus versans circa parvam materiam, ut docent ipsi PP. nam. 16. Unde actus deliberatus bonus, & indeliberatus & actus bonus deliberatus versans circa meta-

riam levem, & gravem distinguuntur, sicut habitus, & dispositio, quæ ex natura sua distinguuntur specie. Vel potest responderi secundo permitiendo antecedens, & negando consequentiam: Quia actus bonus deliberatus, & indeliberatus in materia v. g. iustitiæ conveniunt ex vna parte in hoc, quod tendunt ad idem obiectum, ex alia nequeunt distingui per hoc, quod actus bonus deliberatus tendit persè ad ultimum finem, quia ab hoc ordine præcedit. Cæterum actus malus deliberatus persè tendit ad obiectum, ut contrarium ultimo fini formaliter ut tali, non autem indeliberatus, & ob hanc rationem habent obiecta formaliter diversa. Ad robur huius probationis respondetur, quod cognitio fidei proponit eandem bonitatem sub eadem ratione formali, sub qua proponit visio clara, & propterea actus charitatis viæ, & patris sunt eiusdem speciei. Cognitio vero imperfecta, seu non deliberata nequit proponere rationem ultimi finis, & aversionem ab illo, bene vero cognitio deliberata. Et propter hanc rationem actus malus ex cognitione deliberata, & actus malus ex indeliberata habent obiecta formaliter diversa.

Ad tertiam probationem satis constat ex supra dictis. Nam in esse physico actus præcedunt ab eo, quod tendunt ad obiectum ut contrarium ultimo fini, & propterea non distinguuntur specie in linea physica. At in esse moris actus deliberatus malus, & habens materiam gravem respicit illam persè, ut contrarium ultimo fini, non autem actus indeliberatus, aut actus deliberatus non tangens materiam gravem: & propter hanc rationem rectè statuitur distinctio specifica.

Ad additamentum respondetur, quod peccatum veniale, & mortale non solum differunt ex capitibus ibi assignatis, quæ sunt ingens testimonium distinctionis specificæ, sed etiam ex eo, quod persè tendent diverso modo ad tale obiectum, & hoc distinctivum est primum, & essentiale. Diximus, quæ sunt ingens signum distinctionis specificæ. Nam sicut iustificatio impij, & Angelorum sunt diversæ speciei, quamvis tendant ad eandem gratiam specificè, quia vna tendit ad illam ut destruentem peccatum, & non alia; ita possumus dicere de peccato mortali, & veniali, quatenus illud tendit ad obiectum contrarium ultimo fini, & destruens gratiam, & non veniale. Videantur NN.

Salmant. de Iustif. disp. 4. num. 8.



DISPUT. III.

De Penis peccatorum.



ost considerationem peccatorum tam in communi, quam in particulari, cui in duabus disputationibus præcedentibus operam dedimus rectus ordo postulat ut de penis eis debitæ sermonem instituamus. Circa quas nonnullæ & satis difficiles quæstiones excitari solent, quas suo ordine examinabimus.

DUBIUM I.

Quid sit reatus peccati: Et qualiter ad peccatum comparetur?

QUIA reatus peccati, & pœna ei debita mutuo sibi correspondent, ita ut reatus se habeat ut meritum, & pœna ut terminus, merito de reatu peccati quæstionem in hac disp. iniungimus, & ab ea incipimus, quia prior est. Hæc autem vox reatus, quæ à reo deducta est, nihil aliud significat nisi meritum, aut debitum, quo quis, postquam culpam commisit, pœnæ, vel satisfactioni manet obstrictus, proindeque est quædam habitudo, quam peccatum dicit ad penam per modum debiti. ¶ Pro quo nota primo, reatum esse duplicem, & reatum culpæ, & reatum pœnæ. Reatus culpæ nihil aliud est, quam quædam subiectio, qua quis tenetur sub macula habituali, postquam commisit peccatum mortale. Reatus vero pœnæ est condignitas ipsa ad penam sustinendam. ¶ Nota secundo, in hac condignitate ad penam duo intelligi posse, vel ordinationem & deputationem ad penam, quæ est denominatio extrinseca proveniens ab actu voluntatis, aut iustitiæ divinæ; vel condignitatem ipsam proximam ad penam, quæ se tenet ex parte peccati. Et de utroque reatu procedit dubium.

§. I.

Dubij decisio nonnullis assertionibus

Dicendum est primo, reatum culpæ esse ipsum peccatum habituale secundum suum primum conceptum. Et ratio est: nam, ut supra diximus, reatus culpæ solum dicit subiectio, & detentionem sub ipsa culpa habituali; sed hoc nihil aliud est, quam ipsa culpa habitualis secundum suam primariam rationem: ergo reatus culpæ est ipsum peccatum habituale secundum suum primum conceptum. Minor

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

probatur: nam teneri sub culpa idem est, ac informari per eam: sicut teneri aquam sub calore idem est, ac informari per calorem; sed informari à calore nihil aliud est præter ipsum calorem secundum suum conceptum primum: si quidem dicit ipsam formam communicatam, quæ est effectus eius primarius, & coincidens cum ratione eius essentiali: ergo subiectio, & detentio sub culpa habituali est ipsa culpa habitualis secundum suum conceptum primum.

2 Dicendum est secundo, reatum pœnæ non pertinere ad conceptum primum peccati habitualis, sive talis reatus fumatur pro ordinatione passiva proveniente ab actu voluntatis divinæ, ut vult Scotus; sive accipiatur pro condignitate ipsa intrinseca se tenente ex parte peccati, ut suum Scotum explicant plures eius discipuli. In hac conspirant omnes Thomistæ. Et quoad primam partem probatur: nam reatus pœnæ, quatenus dicit ordinationem passivam ad penam ex actu divinæ iustitiæ desumptam, est de genere boni; sed peccatum habituale est de generi mali: ergo reatus pœnæ prædicto modo sumptus non pertinet ad conceptum essentialem peccati habitualis. Adde: Nam est Deus non ordinasset peccatorem ad penam, adhuc peccator haberet peccatum habituale: ergo figuratum est, quod reatus pœnæ non pertinet ad culpam habituale.

Quoad secundam etiam partem ostenditur: nam condignitas peccati sive actualis, sive habitualis ad penam est proprietates illius: ergo non pertinet ad eius conceptum primum. Antecedens quoad primam partem admittitur ab Adversariis. Quoad secundam probatur: Tum à paritate ipsius peccati actualis. Tum etiam à paritate gratiæ: nam condignitas iusti ad gloriam est conceptus secundarius gratiæ supponens eius conceptum primum, qui est facere hominem sanctum, & participem naturæ divinæ: ergo idem de peccato habituali, cuius essentia consistit in privatione gratiæ, dicendum est. Vide disp. præc. dub. 4. §. 3.

3 Dicendum est tertio, condignitatem ad penam, quæ principaliter dicitur reatus, non esse relationem aliquam realem, aut rationis, licet concipiatur à nobis ad modum relationis rationis ad penam. Ita NN. Salmant. in præc. disp. 17. dub. 1. num. 6. & Gonet disp. 8. num. 67. Quoad primam partem probatur assertio: nam omnis relatio realis debet fundari in aliquo positivo: ergo condignitas ad penam nequit esse aliqua relatio realis. Probatur consequentia: nam condignitas seu reatus ad penam fundatur in peccato habituali; nulla relatio realis potest fundari in peccato habituali, quia est privatio, & privatio nequit fundare relationem realem: ergo condignitas ad penam nequit esse relatio realis. Quoad secundam etiam partem

Q 2

pro-

probatur: nam denominatio realis nequit provenire ab ente rationis; sed peccator realiter denominatur condignus pœnæ: ergo reatus seu condignitas ad pœnam non est relatio rationis. ¶ Et confirmatur: Relationes rationis non sunt ante omnem operationem intellectus; sed ante omnem operationem intellectus peccatum habet condignitatem ad pœnam: ergo talis condignitas non est relatio rationis.

Respondetis cum Curiele, non repugnare denominationem esse realem, quamvis relatio sit rationis: quia se habet adinstitam relationum rationis, quibus Deus dicitur realiter dominus, & creator.

Contrà est. Nam implicat in terminis, quòd à forma rationis, cuiuscumque generis sit, proveniat formaliter denotatio realis: sicut implicat in terminis, quòd effectus formalis sit realis, & ante omnem operationem intellectus, & forma ipsa non sit realis, sed dependens ab operatione intellectus. Denominatio verò, qua Deus dicitur dominus, aut creator, non provenit ab ipsa relatione dominij, aut creatoris, sed à fundamento ipsius relationis rationis, quod est quid reale.

Quoad tertiam partem probatur: Nam tunc concipimus privationes, aut negationes ad modum relationis rationis, quando nequeunt concipi sine connexione, aut connotatione ad aliquam formam, aut terminum: hinc enim provenit, quòd cum in se sint denominationes reales, & propter suum non esse nequeant fundare relationem realem, concipimus illas adinstitam cuiusdam relationis rationis; sed condignitas ad pœnam, quæ in privatione fundatur, nequit concipi sine connexione, aut connotatione ad illam: ergo concipitur à nobis adinstitam relationis rationis.

Ex quibus intelligi valent aliqua Scripturæ loca, in quibus peccatum reatus nominatur, vt Exod. 32. *Percussit Dominus populum pro reatu vituli.* Et Deuter. 21. *Et auferetur ab eis reatus sanguinis.* Nam verificantur de peccato habituali secundum reatum culpæ, qui est eius effectus primarius, vel de condignitate illius ad pœnam, quæ est effectus secundarius ipsius peccati. Vel vt ait Div. Thom. in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 2. *Quia obligatio pœnæ quodammodo est media inter culpam, & pœnam, ideo nomen medium transferuntur ad extremum, & interdum ipsa culpa, vel etiam pœna dicitur reatus.*

Obserua tamen, quòd dum inter probandam secundam assertionem diximus, condignitatem, seu reatum ad pœnam esse effectum secundarium ipsius peccati, sicut dignitatem gratiæ ad gloriam, ac proinde esse indistinctum realiter, hoc intelligendum est de reatu pœnæ æternæ, qui à culpa mortali nequit separari. Aliter dicendum est de reatu pœnæ tempora-

lis, qui remanet post remissionem culpæ infra gratia, quousque fiat integra satisfactio, vel in hac vita per penitentiam, vel in alia per ignem Purgatorij. Nam eum iste realiter separatur à culpa mortali, vt ex se liquet, nequit non realiter ab ea distingui, cuius signum est ipsa separatio realis.

Sed inquires, à qua forma denotatur homo reus pœnæ temporalis, subacta culpa habituali per gratiam? ¶ Respondetur esse ordinationem passivam ortam à iure, quod habet divina iustitia destinans hominem ad prædictam pœnam, quousque solvatur, aut condonetur. Idem cum proportione dicendum est de reatu peccati venialis, si ex illo non relinquatur macula habitualis, vel si auferatur absque adæquata satisfactio.

4 Sed contra secundam assertionem obijciens ex Augulino, sæpè asserentem concupiscentiam in non baptizatis esse originale peccatum, non ratione sui, sed ratione reatus, & idem esse tolli reatum, ac tolli peccatum originale, quoscicà, quia in renatis tollitur reatus, non remanet peccatum originale, estò maneat concupiscentia: ergo iuxta Augul. essentia peccati originalis consistit in reatu, seu condignitate ad pœnam: ergo idem asserendum est de essentia peccati habitualis, ac proinde falsum est, præfactam condignitatem esse munus secundarium.

Respondetur, Augulinum nomine reatus vel non intellexisse reatum pœnæ, sed culpam: vel si in reatu pœnæ aliquando essentiam peccati originalis constituit, non fuisse loquutum de eo formaliter sumpto, quo pacto importat debitum ad pœnam, sed de eo radicaliter accepto. Et hoc modo intellectus Augulini longè distat à sententia Pelagij, aut Pijij, & Catharini, vt vult Vazquez cum dedecore tanti Doctoris.

DUBIUM II.

An peccatum secundum malitiam possit habere rationem pœnæ?

5 **S**upponimus primò, quòd nihil potest habere rationem pœnæ, nisi sit malum, & disconueniens subiecto illius. Et ratio est: quia pœna est de genere mali, & propterea D. Thom. 1. part. quæst. 48. art. 5. malum creaturæ rationalis dividit adæquate in culpam, & pœnam. ¶ Et confirmatur: Nam de ratione pœnæ est, quòd sit reparativa culpæ per modum supplicij; sed hoc nequit esse vndequeque bonum; aliàs potius esset præmium, quam supplicium: ergo, vt aliquid habeat rationem pœnæ, omnino requiritur, vt sit malum & disconueniens subiecto illius. *Roboratur:* Nam si pœna esset vndequeque bona, & conueniens

illius

illius subiecto, homo potius alliceretur ratione illius ad culpam, quam arceretur ab ea, proindeque non posset ex se esse reparativa culpæ, quinimo Iudex illam taxans non tam vindicem, quam amatorem culpæ se exhiberet; hoc est maximum inconueniens, vt potè aduersans iustitiæ vindicativæ: ergo. ¶ Hæc diximus, vt inde inferas, omnia ea, quæ nihil mali habent, eo ipso excludi à ratione pœnæ: & omnia ea, quæ aliquid mali, aut disconueniens important homini, siue quantum ad animam, siue quantum ad corpus, siue quantum ad bona exteriora, posse habere rationem pœnæ, ad quam conduce-re valet ipsa disconuenientia rei, & solum desideratur ordinatio Iudicis. Quæ doctrina mouetur D. Thom. ad asserendum quæst. 1. de Mal. art. 4. quòd omnia prædicta mala homini euentientia esse pœnam alicuius peccati saltem originalis.

Supponimus secundò, peccatum posse habere rationem pœnæ secundum aliquid se habens ad illud vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter. Quocirca ex antecedentibus habet rationem pœnæ permisso peccati, & substractio gratiæ, & auxiliorum: quia est homini disconueniens; non per modum culpæ, cum sit à Deo: ergo per modum pœnæ. Ex concomitantibus afflictio, molestia, & lassitudo, & alia huiusmodi, quæ culpæ admisceri solent: quia sunt mala homini, & non important deformitatem incausabilem à Deo. Denique ex consequentibus, detrimenta in vita, honore, diuitijs &c. quæ ex illo frequenter sequuntur. ¶ Quibus suppositis, difficultas reducitur inter Theologos ad ipsum peccatum secundum rationem malitiæ, & ex consequenti ad alias formalitates in eo repertas, de quibus nonnihil dicemus per modum corollarij. Circa quam duplex militat sententia. Prima affirmat, quam tenent D. Bonav. 2. dist. 36. art. 1. quæst. 1. Gabriel ibidem quæst. vnic. art. 2. conc. 1. & 3. Scotus dist. 37. quæst. vnic. Suarez in hoc tract. dist. 7. sect. 2. & alij. Secunda negat, quam docet D. Thom. in præf. quæst. 87. art. 2. & cum eo omnes eius discipuli, & plures alij.

§. I.

Sententia D. Thomæ.

6 **D**icendum est, peccatum secundum suam malitiam non posse habere rationem pœnæ. Ita Div. Thom. loco proxime relat. vbi ait: *Pœnæ quidem nullo modo peccatum potest esse pœna peccati.* Et probatur primò ratione illius fundamentali: Nam de ratione pœnæ est, quòd sit involuntaria, de ratione vero culpæ est, quòd sit voluntaria; sed repugnat, quòd aliquid sit voluntarium secundum eam

rationem, qua est involuntarium: ergo repugnat, quòd peccatum secundum rationem malitiæ sit pœna.

7 Respondebis cum Scoto, ex prædicta ratione tantum suaderi, quòd peccatum sub formalitate actionis non potest habere rationem pœnæ. Cum quo rectè cohæret, quòd sub conceptu passionis possit esse pœna: ad eum modum quo passio Christi, prout recipiebatur in ipso, erat pœna, & satisfactio pro peccatis nostris, sedus verò prout egrediebatur à suis interfecto-ribus.

Contrà est primò. Nam peccatum sub conceptu passionis, vel est malum moraliter, vel non? Si dicas secundum: ergo non sub conceptu malitiæ habet rationem pœnæ, proindeque habemus intentum. Si dicatur primum: ergo nequit habere rationem pœnæ adhuc sub conceptu passionis. Probatur hæc consequentia: nam pœna debet esse à Deo; sed peccatum secundum malitiam morale nequit esse à Deo: ergo si sub conceptu passionis est mala moraliter, nequit habere rationem pœnæ.

Secundò, & simul detegitur Scoti æquiuocatio. Nam peccatum formaliter sumptum est actio immanens, cum sit actus voluntatis; sed in actibus immanentibus non est passio, quæ sit aliquid distinctum ab actione, sed eadem qualitas, quæ, prout egreditur ab agente, est actio, prout recipitur in eo, & illud informat, est passio: ergo si sub manere actionis nequit habere rationem pœnæ, nec sub munere passionis.

Explicatur hoc: Nam per hoc, quòd malitia afficit subiectum, & illud informat, non desinit explicare malitiam, aliàs sub ratione malitiæ in nullo subiecto reciperetur; sed explicat conceptum passionis, prout afficit subiectum, & illud informat: ergo peccatum vel sub conceptu malitiæ potest habere rationem pœnæ, vel sub conceptu passionis nequit habere rationem pœnæ; atqui sub expressione malitiæ nequit habere rationem pœnæ, vt permittit euaio prædicta, aliàs causeretur à Deo: ergo idem quod prius. Adde: Nam malitia ipsa, prout recepta in subiecto, explicat munus passionis; sed malitia ipsa prout recepta in subiecto nequit habere rationem pœnæ: ergo nec prout explicat munus passionis. Minor probatur tum ex prædictis. Tum etiam: nam malitia ipsa, prout recepta in subiecto, est effectus formalis illius; sed non stat, quod effectus formalis, & primaricus formæ habeat rationem pœnæ, & quòd ipsa forma non habeat: siquidem idem omnino sunt ipsa forma, & eius effectus primarius & formalis, seu ipsa forma vt communicata: ergo. Ad hæc: Nam vt actio ipsa recipiatur in subiecto, quo pacto explicat munus passionis, non petit novum & speciale influxum, sed influxus ille, qui sufficit, vt actus

actus immanens egrediatur ab agente, sufficiens etiam est, vt recipiatur in illo: ergo si influxus ille est peccaminosus prout terminatus ad actionem, vt actio est, etiam erit peccaminosus, prout terminatur ad eam, vt passio est: ergo si hac ratione non potest habere rationem pœnz, prout actio est, neque potest habere rationem pœnz, prout passio est.

Nec prodest exemplum de passione Christi. Quia talis passio, licet fuerit effectus peccati iudiciorum, non erat tamen ipsa malitia, sed quid omnino diuersum, & in diuerso subiecto receptum, incapaxque recipiendi intrinsecè malitiam: quandoque passio erat in corpore Christi, & peccatum in voluntate iudiciorum: & hac ratione talis passio voluta fuit à Deo, sicut plures effectus extrinseci peccati possunt à Deo causari. At passio, de qua in presenti, est longe alterius rationis, est enim effectus ipse formalis malitiæ, ideoque nequit habere rationem pœnz.

8. Secundò probatur assertio: De ratione pœnz est, quòd sit reparativa culpæ, seu boni honesti destructi per eam; sed peccatum secundum suam malitiam nequit reparare tale bonum, sed potius illud destruit: ergo in ratione malitiæ nequit habere rationem pœnz. Maior solum eget aliquali explicatione. Nam cum peccatum tendat ad invertendum ordinem rationis, & re ipsa illum pervertat, lex iustitiæ postulat, vt taxetur pœna, ratione cuius reintegretur prædictus ordo; & hoc fit periculo, & expensis ipsius delinquentis. Et quòd hoc modo prædictus ordo restituatur, patet ex eo, quòd homo per peccati punitionem à peccando deterretur, & arceatur, dignitas boni honesti in maiori honore habetur; & culpa vt digna vituperio. Minor verò probatur: Tùm quia peccatum secundum conceptum malitiæ est ex diametro oppositum ordini rationis, & bono honesto: nequit ergo esse reparativum illius. Tùm etiã: nam si esset reparativum boni honesti, licitum esset ob talem finem peccare, sicut licitum est adhibere alias pœnas; hoc est chimericum: ergo.

9. Tertio probatur assertio: Nam omnis pœna debet esse iusta, & honesta, à Deoque tanquam ab autore provenire, siquidem est obiectum iustitiæ, ab eaque ordinata ad finem honestum, videlicet ad reparationem culpæ; sed deformitas peccati nequit esse iusta, & honesta, vt ex se liquet, neque potest à Deo causari, vt supponimus ex fide, neque potest ob vllum finem assumi, vt constat in mendacio, & alijs actibus intrinsecè, & ex natura sua pravus: ergo non potest habere rationem pœnz.

Respondetis, non requiri ad rationem pœnz, quòd positive proveniat à Deo tanquam ab influente in illam, sed sufficere, quòd illam permittat, vel non impediat.

Contra est. Tùm quia omnis pœna debet esse iusta, & honesta, cum sit obiectum virtutis iustitiæ; sed Deus nequit non positive concurrere ad omne id, quòd est honestum, iustum, & obiectum virtutis: ergo ad rationem pœnz non sufficit, quòd proveniat à Deo permissivè. Tùm etiã: nam de ratione pœnz est, quòd sit à Iudice ordinata, diffinita, & taxata; sed hoc non indicat præcisè concursum permissivum, sed etiam positivum: ergo. Tùm denique: nam Deus modo longè diverso se habet ad pœnam, quam ad culpam: imo modo longè diverso ad denegationem auxiliorum, prout habet rationem pœnz, quam ad eandem denegationem secundum se: siquidem ad denegationem auxiliorum secundum se nullus requiritur influxus positivus adhuc indirectus, sed sufficit voluntas positiva non influendi: ad denegationem verò eorum, prout habet rationem pœnz, omnino requiritur, quòd sit taxata, determinata, & definita positive à Iudice; aliàs nulla esset differentia inter eam, prout dicit puram denegationem beneficij indebiti, & prout dicit rationem pœnz: ergo non sufficit ad rationem pœnz influxus permissivus.

10. Ex dictis in prima ratione inferitur, in actibus voluntatis entitatem sive moralem, sive physicam non posse habere rationem pœnz. Et ratio est: quia contra rationem pœnz est, quòd sit voluntaria; sed ratio voluntarij magis convenit entitati actus voluntatis quam ipsi malitiæ, cum illa egrediatur à voluntate persè primò, & directè, & ista indirectè; illa sit voluta directè, & ista indirectè & per accidens: ergo si hac ratione peccatum sub conceptu malitiæ nequit habere rationem pœnz, nec entitas actus voluntatis.

Roboratur hoc: Nam vt deformitas peccati non habeat rationem pœnz, satis est, quòd simpliciter sit voluntaria, licet importet aliquam disconvenientiam contrariam inclinationi voluntatis ad bonum honestum; sed entitas actus voluntatis ex se nullam disconvenientiam dicit contrariam inclinationi voluntatis: ergo potiori titulo ex hoc capite (quidquid sit ex alijs) entitas actus voluntatis inepta est ad rationem pœnz.

11. Inferitur secundò, actus elicitos ab alijs potentijs distinctis à voluntate posse habere rationem pœnz, si considerentur secundum suam substantiam, secus verò prout imperantur à voluntate. Ratio huius est: quia prædicti actus, estò imperentur à voluntate, secundum suam substantiam non procedunt ab ea, sed tantum quoad modum aliquem accidentalem, à quo dicuntur imperari, liberi, & mali, aut boni: ergo licet sint persè voluntarij secundum prædictum modum accidentalem, entitas verò & substantia horum actuum non est voluntaria: ergo potest repugnare inclinationi voluntatis: ergo licet re-

pugnet, quòd prædicti actus quoad illum modum superadditum habeant rationem pœnz, non tamen secundum substantiam considerati.

12. Inferitur tertio, in peccato omissionis carentiam actus, consideratam secundum se, posse habere rationem pœnz. Ratio huius est: quia prædicta carentia secundum se totam non dependet essentialiter à voluntate, vt liquet in eo, qui ex ignorantia, vel impotentia omittit. Ob quam rationem tract. de Voluntar. disp. 3. diximus, voluntatem posse pati violentiam in cessatione à suis actibus: ergo nihil deest illi, vt possit habere rationem pœnz.

Alia ratio est pro malitia, & deordinatione reperta in huiusmodi peccato: nam hac essentialiter, & persè dependit à voluntate, etique essentialiter voluntaria, & propterea nequit habere rationem pœnz. Idemque asserendum est de privatione rectitudinis reperta in peccato commissionis, quæ adæquate, & secundum se totam accepta, est voluntaria, essentialiterque dependet à voluntate, & hac de causa nequit secundum villam sui rationem habere rationem pœnz.

§. II.

Sententiæ contrariæ argumenta.

13. Arguitur primò ab auctoritate Scripturæ: nam ad Roman. 1. dicitur, quòd propter præcedentia peccata tradidit Deus peccatores in desideria cordis eorum, in immunditiam &c. Et psalm. 68. dicitur: Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Ad Roman. 9. dicitur: Quem vult indurat, alijque in locis affirmatur Deum esse causam excarnationis, & indurationis; sed hæc sunt formaliter peccata, & propterea reprehenduntur in Scriptura, vt 1. Reg. 6. ergo.

Confirmatur primò ex Patribus. August. enim lib. 2. de Conf. cap. 12. ait: *Iussisti Domine, & sic est; vt pœna sua sit sibi omnis inordinatus animus.* D. Greg. homil. 11. in Ezech. inquit: *Peccatum, quòd per penitentiam citius non deletur, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati, aut peccatum, & causa, & pœna peccati.* Quo quid clarius? ¶ Confirmatur secundò ex D. Thoma. Tum 2. Sent. dist. 36. art. 3. quæst. vnic. & quæst. 1. de Malo art. 4. ad 2. vbi concedit, quòd ipsa deformitas peccati sit pœna, & quòd causetur à Deo permissivè. Tum in præf. vbi inter ea, quæ in peccato habent rationem pœnz, enumerat substantiam actus interioris, vt liquet in illis verbis: *Alio modo ex parte substantiæ actus, quæ afflictionem inducit, sive sit actus interior &c.* sed eadem ratio militat pro malitia ex vi nostræ primæ rationis: ergo.

Ad hoc argumentum, cum prima confirmatione respondetur, illa testimonia tam Scripturæ, quam SS. PP. intelligenda esse de peccatis, non quoad malitiam, nec quoad entitatem actus voluntatis, sed præcisè quantum ad alia, quæ antecedunt, concomitantur, vel consequuntur, iuxta dicta num. 5. Hoc enim sufficit ad veritatem illarum, & similibus locutionum.

Ad secundam, & ad duo testimonia ex lib. Sent. & quæst. de Malo deducta, Respondetur cum Caietan. in præf. D. Thom. loqui non de ipsa deformitate peccati, sed de privatione gratiæ in sensu explicato disput. præc. num. 145. quæ est effectus inseparabilis ipsius peccati. Vel dicatur cum Caietan. & alijs, D. Thom. retrahisse in præf. sententiam, quam tenuerat in locis citatis; cum in præf. pluries dicat peccatum nullo modo esse pœnam peccati. Vel verba esse corrupta in prædictis locis. Vel dicatur cum Arauxo, dum D. Thomas in prædictis locis asserit deformitatem peccati esse pœnam peccati, accipi pœnam largè & improprie, prout importat aliquam disconvenientiam respectu rationalis naturæ; secus verò proprie & strictè, quò pacto debet habere omnes condiciones in rationibus nostris assignatas, in quo sensu negat D. Thom. in præf. deformitati ipsi rationem pœnz. ¶ Ad vltimum testimonium ex præfati loco desumptum, Respondetur, D. Thom. solum loqui de entitate actuum appetitus sensitivi, vt liquet in exemplis ab eo adductis, quæ sunt ira, & invidia; & hi actus peccipri dicuntur passiones appetitus, quàm actus voluntatis. Hos actus appellat interiores ad differentiam actuum exteriorum, quia recipiuntur ad intra.

14. Arguitur secundò (& erit replica contra proxime dicta) Nam ad rationem pœnz satis est, quòd aliquid sit contra inclinationem habitualement, aut naturalem voluntatis: nam eo ipso importat disconvenientiam, & oppositionem cum illa; sed deformitas ipsa peccati est contra inclinationem voluntatis: ergo habet, quidquid sufficit ad veram & rigorosam rationem pœnz. Minor, in qua tantum potest esse difficultas, præterquam quòd debebat supponi ex dictis disp. 1. dub. 2. suaderetur: nam voluntas habet inclinationem ad bonum honestum; sed deformitas peccati directè contrariatur bono honesto: ergo est contra inclinationem voluntatis.

Respondetur distinguendo maiorem: contra inclinationem voluntatis physicam, concedo maiorem; contra inclinationem moralem præcisè, nego maiorem. Et distincta minori eodem modo, negatur consequentia. Duplex enim inclinatio distinguenda est in voluntate nostra: alia enim respicit bonum proprium suppositi sub ratione boni physici præcidentis ab ordine moralis, & à qualibet alia determinatione, & prop-

terea hæc inclinatio appellatur *physica*. Hæc est primaria, & essentialis, utpote orta ex principiis essentialibus, seu ex anima rationali secundum se, & tendens ad obiectum omnino primum voluntatis. Altera respicit bonum honestum determinatè sub ratione boni moralis, ideoque eam appellamus *moralem*, quæ est quodammodo ab extrinseco participata, & indita ab autore naturæ in ordine ad regulandos actus ipsius voluntatis iuxta præscriptum rationis, & legis, & sic est quasi descendens ab ipsa æterna lege, & dependens ab eius determinatione; ideoque non ita oritur ex solis principiis essentialibus animæ, sicut prima, licet sit ab ea inseparabilis. Ad rationem penæ non sufficit, quod aliquid sit contra hanc posteriorem, sed omnino requiritur, quod sit contra priorem, ut per hoc distinguatur malum penæ à malo culpæ. Er propterea D. Thom. 1. part. quæst. 64. art. 3. ad 3. ait: *Dolere de malo culpæ propter se, attestatur voluntatis bonitati, cui malum culpa opponitur: dolere autem de malo penæ, vel de malo culpæ propter penam attestatur bonitati nature, cui malum penæ opponitur.* Quibus verbis innuitur, non esse de ratione penæ, quod sit contra bonum morale, aut contra inclinationem ad illud, sed quod sit contra bonum physicum naturæ rationalis, & contra inclinationem ad illud. Malitia autem peccati opponitur inclinationi morali voluntatis, secus verò inclinationi physice, cum voluntas inclinatur ad illam sub ratione boni physici, & propterea non potest habere rationem penæ.

15 Arguitur tertio: Mortificationes sponte susceptæ non repugnant inclinationi voluntatis; & tamen habent rationem penæ: ergo non est de ratione penæ, quod repugnet voluntati. ¶ Et confirmatur primo: Nam sæpe penæ, quibus malefactores puniuntur cum actuali renixu voluntatis, sunt voluntariæ in causa, cum quis eligat v. g. homicidium cum prævisione penarum; & tamen habent veram rationem penæ: ergo. ¶ Confirmatur secundò: Nam multoties infligitur pœna nescienti; sed talis pœna non est contra voluntatem, tùm ob ignorantiam non possit illi repugnare: ergo.

Ad hoc argument. & utramque confirmationem respondetur, quod licet omnes prædictæ penæ non repugnent voluntati actuali, repugnant tamen voluntati habituali, seu inclinationi, qua voluntas propendit in bonum proprium suppositi. Et hoc sufficit ad rationem penæ, ut tradit D. Thom. quæst. 1. de Malo art. 4. his verbis: *Pœna tripliciter repugnat voluntati. Quandoque quidem voluntati actuali: sicut cum quis se sciente sustinet aliquam penam. Quandoque verò est contra voluntatem habitualem: sicut cum alicui ignorantiam subtrahitur aliquod bonum.* ¶ Pro cuius

maiori luce, nota, *voluntarium* posse aliquid dici dupliciter, nempe obiectivè, & formaliter. Voluntarium primo modo acceptum est omne id, quod est obiectum, & volitum à voluntate. Sed hoc in rigore non est voluntarium, quia non est ab intrinseco, quod est omnino prærequiritum ad rationem voluntarij proprij & rigorosi. Voluntarium formale est, quod oritur ab intrinseco voluntatis: & pro hoc supponit nomen *voluntarium* absolute & in rigore prolatum. Hoc autem adhuc potest esse duplex: aliud persè, & aliud per accidens. Dicitur voluntarium *persè* quoad præsens, quod essentialiter petit oriri à voluntate, sive primariò, sive secundariò, sive directè, sive indirectè. Voluntarium *per accidens* est illud, quod non petit essentialiter oriri à voluntate, sed ab alijs potentijs, licet ratione alicuius modi accidentalis, quo à voluntate imperatur, dependeat ab ea. Dicimus ergo, voluntarium, quod est tale tantum obiectivè, vel est tale per accidens, posse habere rationem penæ, quia possunt importari aliquam disconvenientiam physicam supposito, cum non convenient secundum suam substantiam à voluntate. Et sub his duobus generibus voluntarij continentur penæ recensitæ in obiectione. At voluntarium *persè*, cum essentialiter oriatur à voluntate, nequid repugnare inclinationi eius physice, & propterea nequit habere rationem penæ. Et ad hoc genus pertinent entitas cuiuslibet actus eliciti à voluntate, modus imperij reperi in actibus aliarum potentiarum, necnon bonitas, & malitia moralis formalis, vbi cumque sit.

16 Arguitur quartò: Nam dolor, & tristitia damnatorum habent rationem penæ; & tamen sunt actus eliciti à voluntate, imò & peccaminosi: ergo actus peccaminosus, vel quantum ad malitiam potest habere rationem penæ. Maior, in qua est tantum difficultas, probatur primò ex D. Greg. Niseno relato à Div. Thom. supra quæst. 39. art. 1. qui ait, dolorem, & tristitiam esse malum naturæ; sed malum naturæ habet rationem penæ iuxta nuper dicta: ergo habent rationem penæ. Tum etiam: nam damnati torquentur illo dolore: ergo.

Respondetur, quod aliter discurrendum est de tristitia, ac de dolore. Dolor enim potius est passio appetitus sensitivi, quam voluntatis, ut docet D. Thom. supra quæst. 35. art. 1. de quo idem iudicium ferendum est, ac de actibus aliarum potentiarum. At tristitia, cum sit actus elicitus à voluntate, nequit habere rationem penæ. Idemque dicendum est de dolore spirituali, qui coincidit cum tristitia.

Ad primam probationem respondetur cum D. Thom. loco in argum. citato ad 1. dolorem secundum se non esse malum naturæ. Dici tamen *malum* ratione obiecti, quod propriè repugnat naturæ, quo supposito dolor, & tristi-

tia potius est conformis naturæ, & consulit eius bonitati. Pro quo videndus est Div. Thom. 1. part. quæst. 64. art. 3. ad 3. vbi ait: *Dolore de malo penæ attestatur bonitati nature, cui malum opponitur.* Idem tradit supra quæst. 39. art. 1. *Ad secundam*: Respondetur, quod damnati non torquentur per dolorem, sed per aliud malum, quod patiuntur; & hinc oritur, quod postea dolent, & tristentur.

17 Arguitur vltimò: Nam privatio gratiæ habet rationem penæ; & tamen in ea consistit culpa habitualis: ergo peccatum potest habere rationem penæ. Probatur consequentia: nam non est ratio, cur in privatione gratiæ distinguenda sit aliqua ratio, quæ habeat rationem penæ, & non in actu voluntatis. *Adde*: Nam si in privatione gratiæ distinguimus aliquam rationem, quæ habeat rationem penæ, etiam poterit distinguì similis ratio in privatione rectitudinis propria peccati commissiois.

Respondetur, concessis præmissis iuxta doctrinam traditam disp. præc. num. 145. negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia privatio gratiæ non dependet essentialiter à voluntate; cum possit illam Deus auferre à dormiente, & cum alijs sit mala, & disconveniens homini, sicut gratia, quam tollit, est bona; nil ei deest, ut habeat rationem penæ. At actus voluntatis, & eius malitia tam positiva, quam privativa pertinent ad genus voluntarij persè, cum essentialiter, & totaliter oriatur à voluntate: ideoque non possunt habere rationem penæ, sicut nec privatio gratiæ prout dicit malitiam habitualem, propter eandem rationem. Per quod patet ad additamentum.

DUBIUM III.

An peccatum mortale condignè mereatur penam infinitam, aut æternam?

Hanc duplicem difficultatem, quæ divisim solet excitari, sub vna comprehendimus ob affirmatam doctrinam. ¶ In qua supponimus primo, defectu nullam esse penam infinitam secundum intentionem, quia est impossibilis. Unde lis inter Scholasticos est præcisè circa condignitatem ad eam. ¶ Supponimus secundò, animas decedentium in peccato mortali statim, regulariter loquendo, descendere in infernum, in quo cruciantur pro suis delictis. Ita in pluribus locis Scripturæ, & propterea hæc veritas est de fide. ¶ Supponimus tertio, iuxta legem communem pœnas damnatorum, qui in inferno torquentur propter peccata mortalia personalia, vel qui in limbo recluduntur propter originalia, futuras esse æternas. Pro qua veritate catholica possunt adduci innumera sacre paginæ testimonia. Dubium tamen est, an peccatum mortale ex

se habeat condignitatem ad penam infinitam, & æternam?

Circa quod triplex versatur sententia, duæ extremæ, & alia media. Prima extrema negat peccato mortali condignitatem ad penam infinitam, sive quoad intentionem, sive quoad durationem. Ita nonnulli, quos suppresso nomine refert D. August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 11. ¶ Secunda extrema affirmat, quodlibet peccatum mortale mereri de condigno penam infinitam quoad extensionem, & quoad intentionem. Ita Almain tract. 3. Moral. cap. vlt. & alij, eamque probabilem censet Suario tract. 5. de Actibus humanis disp. 7. sect. 5. ¶ Tertia media docet, peccatum mortale condignè mereri penam finitam quoad intentionem, infinitam verò quoad durationem. Ita D. Thom. in præf. quæst. 87. art. 4. & communiter Scholastici, & præcipue NN. Salmant. in hoc tract. disp. 17. dub. 3. & 4. nosque ut certam amplectimur defendendam, eamque duplici assertionem explicabimus.

§. I.

Prima assertio negans debitum ad penam infinitam.

18 **D**icendum est primò, peccato mortali non deberi de condigno penam infinitam secundum intentionem. Et probatur ratione: nam pœna debet proportionari peccato secundum rationem malitiæ; sed malitia peccati mortalis adæquate accepta est simpliciter finita; ergo non debetur ei de condigno pœna simpliciter infinita, qualis esset pœna infinita secundum intentionem. Minor probatur: nam duplex est malitia in peccato mortali, alia positiva, quæ consistit in conversione ad bonum commutabile; & alia privativa, quæ intransitive importat averisionem à Deo; sed malitia peccati secundum utramque rationem est finita: ergo malitia peccati est simpliciter finita. Minor probatur (primò) simul quoad utramque partem: nam utraque est in subiecto finito: utraque specificatur à termino finito, cum conversio specificetur à bono commutabili, quod est finitum; & averisio à rectitudine conversionis, qua privatur, quæque est etiam finita: ergo utraque malitia est simpliciter finita.

Secundò probatur specialiter quoad primam partem: tum ex proximè dictis. Tum etiam: quia conversio ad bonum incommutabile, scilicet ad Deum, est simpliciter finita; ergo potiori titulo conversio ad bonum commutabile debet esse finita. Patet consequentia; nam conversio ad Deum, cum habeat obiectum infinitum, potiori titulo debet esse infinita simpliciter, quam conversio ad bonum commutabile, quod est finitum. ¶ Tertio specialiter probatur quoad secundam partem: tum ex dictis.

Tum etiã: nam privatio conversionis ad Deum, in qua malitia averſionis conſiſtit, non eſt maior, quã privatio viſionis beatificæ; ſed privatio viſionis beatificæ non eſt ſimpliciter infinita, ſicut nec ipſa viſio, à qua meſſuratur: ergo quoad averſionem non eſt ſimpliciter infinita. *Adde*: Nam converſio ad Deum non eſt infinite meritoria: ergo nec averſio à Deo eſt infinite demeritoria.

19. Reſpondebis primò, quòd malitiæ finitæ poteſt correfpondere iuſtè pœna infinita, ſi Iudex illam determinet, quia non ſemper debet proportionare quantitatem pœnæ cum quantitate culpæ, ſed poteſt ob alios fines determinare, & ſtatuerè maiorem pœnam pro minori culpa: qua taxata, peccatum ex ſe habet condignitatem ad eam.

Contra eſt. Tùm quia Deus nec decrevit, nec decernere poteſt pœnam ſimpliciter infinitam ſecundum intentionem, ſicut nec decernere poteſt aliquid impoſſibile: ergo ex hac parte peccatum non eſt meritorium pœnæ ſimpliciter infinite ſecundum intentionem. Tum etiã: nam licet ob aliquos iuſtos fines Iudex poſſit ſtatuerè maiorem pœnam pro minori culpa, incredibile tamen videtur, quòd poſſit iuſtè ſtatuerè pœnam ſimpliciter infinite excedentem culpæ pravitatem.

20. Reſpondebis ſecundò, quòd licet peccatum mortale ſit finitum quoad converſionem, eſt tamen infinitum quoad averſionem à Deo, cum averſio à bono infinito. Quæ evaſio maiores vires accipit à D. Thom. in præf. art. 4. ubi ait: *In peccato duo ſunt, quorum unum eſt averſio ab incommutabili bono, quod eſt infinitum: unde ex hac parte peccatum eſt infinitum. Et inferius: Ex parte igitur averſionis reſpondet pœna damni, quæ etiã eſt infinita.*

Contra eſt primò. Nam averſio à bono infinito nequit habere maiorem infinitatem, quam converſio ad idem bonum infinitum; ſed converſio ad bonum infinitum non eſt infinita ſimpliciter, ſed adſummum ſecundum quid: ergo averſio à bono infinito non eſt infinita ſimpliciter, ſed adſummum ſecundum quid. Maior eſt certa; nam prædicta averſio eſt privatio converſionis, & privationes meſſurantur per formas, quarum ſunt privationes. Minor potius debet ſupponi, quam probari: aliàs omnia prædicata creata ad Deum immediate terminata eſſent ſimpliciter infinita. Et confequentia probatur: nam propterea converſio ad Deum eſt finita ſimpliciter, quia tantum extrinſicè terminatur ad illum, & procedit à potentia finita, recipiturque in ſubiecto finito; ſed hæc æquè probant de averſione: ergo ſi converſio eſt finita, etiã averſio. ¶ *Secundò*. Nam iuxta D. Thom. eodem modo peccatum ex parte averſionis eſt infinitum, ac pœna damni eſt corref-

pondens; ſed pœna damni eſt finita ſimpliciter, & infinita tantum ſecundum quid: conſiſtit enim in carentia viſionis beatificæ, quæ eſt ſimpliciter finita, & meſſura ipſius carentiæ: ergo &c. Et hoc modo intelligendus eſt D. Thom. dum ait averſionem à Deo, & pœnam damni eſſe infinitas.

21. Reſpondebis tertio, in peccato mortali præter converſionem ad bonum commutabile, & averſionem à Deo ſummo bono dari rationem divinæ offenſæ, quæ in probabiliſſima ſententia eſt gravitatis ſimpliciter infinite, ratione cuius habet proportionem ad pœnam ſimpliciter infinitam. Quæ evaſio fulcrit elegantior doctrina D. Thomæ ex 4. diſt. 46. quaſt. 1. art. 3. ubi ad probandum deberi peccato mortali pœnam æternam, ſic argumentatur: *Poteſt & alia ratio assignari, quare pœna peccati mortalis ſit æterna, quia per illud circa Deum, quæ eſt infinita, peccatur. Unde cum non poſſit eſſe pœna infinita per intentionem, quia creatura non eſt capax alicuius qualitatis infinite, requiritur, quòd ſit ſaltem duratione infinita. Ex quibus clare colligitur, peccatum, quantum eſt ex ſe, ratione offenſæ habere condignitatem ad pœnam infinitam.*

Pro legitima impugnatione huius evaſionis, quæ difficultate non caret, Nota, pœnam perſe non correfpondere peccato ratione offenſæ, ſed ratione malitiæ, ut docet D. Thom. loco proximè allegato ad 6. ubi ait: *Pœna proprie loquendo reſpondet culpæ ſecundum inordinationem (ideſt malitiam) quæ in ipſa invenitur, non ſerò ſecundum dignitatem eius, in quem peccatur. Satisfactio enim perſe correfpondet offenſæ. Quocirca alia eſt condignitas ad pœnam, altera ad ſatiffactionem: prima fundatur in malitia peccati, ſecunda in offenſa, quæ ex malitia reſultat. Ideoque ſi malitia eſt finita, propriè loquendo nequit peccatum eſſe ex ſe demeritorium pœnæ æternæ. Benè verum eſt, quòd Iudex loco ſatiffactionis poteſt pœnam applicare æquivalentem, ſi alia via offendens non ſatiffacit, aut ſatiffacere non poteſt, ſed hoc eſt per accidens: & hoc modo non negabimus, peccatum ex ſe, ſecundum totum quod importat, dicere condignitatem ad pœnam infinitam. Et hiſ reſellitur prædicta evaſio, quin ſit neceſſe aliquid addere.*

6. II.

Secunda aſſertio concedens debitum ad æternitatem pœnæ.

22. **D**icendum eſt ſecundò, peccatum mortale condignè mereri pœnam infinitam quoad durationem. Hæc aſſertio, licet certiffima ſit, patitur non levi diſcultate in reddenda illius efficaci ratione. I t miſ-

ſis rationibus aliquorum ut inefficacibus, illam ſuadebimus vna, vel altera ratione D. Thom. quarum examen eſt præcipuum punctum huius concluſionis.

Probatur ergo primò à D. Thom. in præf. art. 3. cuius ratio poteſt reduci ad hanc formam: Nam peccatum dicens malitiam perſe irremiſſibilem inducit reatum pœnæ æternæ; ſed peccatum mortale eſt huiusmodi: ergo peccatum mortale condignè meretur pœnam æternam. Maior eſt certa: nam peccatum inducit reatum pœnæ per inordinationem & malitiam: unde neceſſe eſt, quòd tandiù maneat reatus pœnæ, quandiù remanet reatus culpæ, ideoque, ſi reatus culpæ eſt irremiſſibilis ex ſe & perpetuus, etiã reatus pœnæ debet eſſe perpetuus. Minor verò probatur: Peccatum mortale tollit ordinem creaturæ ad Deum vltimum finem, quia tollit ab ea gratiam, & charitatem; ſed in hac conſiſtit malitia peccati mortalis eſſe irremiſſibilem: ergo malitia peccati mortalis perſe eſt irremiſſibilis. Minor probatur: nam ſublato ordine ad Deum vltimum finem, ſublataque gratia, & charitate, nihil remanet in peccatore, per quod prædictus ordo reparatur: ergo malitia peccati mortalis eſt irremiſſibilis. Antecedens probatur: tum quia vltimus finis eſt in moralibus, ſicut primum principium in ſpeculativis; ſed error circa primum principium in ſpeculativis eſt incorregibilis: nam omnis defectus corrigitur à ſuo principio: ergo, ſublato ordine ad vltimum finem per peccatum mortale, non eſt remiſſibile. Tum etiã: nam ſublata gratia per peccatum, non relinquit in peccatore aliquid principium, per quod reſtitui poſſit, neque ex aliquo capite eſt ei debitum; ſed gratia eſt vnicum principium, per quod peccatum remitti poſſit: ergo eſt ex ſe irremiſſibile.

Nota tamen, quòd licet hæc ratio ſatis efficaciter oſtendat peccato mortali deberi pœnam æternam ratione perpetuitatis ipſius culpæ, non vero probat efficaciter deberi ei pœnam æternam ratione ſuz intrinſecæ gravitatis: quiniò Scotus in 4. diſt. vlt. Conrad. in præf. art. 4. & alij exiſtimant, ex ſola gravitate ipſius culpæ mortalis non poſſe probari efficaciter perpetuitatem pœnæ. Sed falluntur, ut conſtabit ex rationibus ſequentibus.

23. Probatur ſecundò alia ratione Angelicæ. Magiſt. lib. 3. Contra gent. cap. 144. ad hanc formam redacta: Nam qui peccat adhuc momentaneè, ſed graviter contra finem vltimum, & bonum æternum, & charitatem, quæ eſt ſocietas perpetua beatorum, eo ipſo redditur dignus, ut perpetuò privetur prædictis bonis; ſed homo ſe habet huiusmodi ratione peccati mortalis: ergo peccato mortali ratione ſuz gravitatis, præcis alijs, debetur pœna æterna. Minor cum confequentia conſtat. Et maior pro-

batur: nam qui graviter adhuc momentaneè peccat contra Regem, aut Rempublicam, eo ipſo fit dignus, ut perpetuò privetur ſocietate, & bonis ipſius Reipublicæ, immò ut puniatur morte: ergo idem dicendum eſt de peccato graviter, eſti momentaneè contra Deum, & bonum æternum. Hæc ratio quantum ad pœnam damni eſt ſatis efficaciæ, & quantum ad pœnam ſenſus eſt valde probabilis, maxime ſi firmetur exemplo adducto.

24. Probatur tertio alia ratione deducta ex D. Thom. loco num. 21. relat. Nam peccatum ratione offenſæ eſt infinitum, quia eſt contra Deum, qui eſt infinitus, habens condignitatem ad ſatiffactionem infinitam; ſed peccatum habens perſe condignitatem ad ſatiffactionem infinitam, etiã habet ſaltem indirectè condignitatem ad pœnam infinitam intenſivè, iuxta dicta num. proximè relato: ergo peccatum mortale ſaltem indirectè habet condignitatem ad pœnam infinite intenſam; ſed pœna infinite intenſa eſt impoſſibilis, & pœna æterna eſt inferior: ergo habet condignitatem ad pœnam æternam. Hæc ratio non tantum probabilis, ſed efficaciæ eſt pro vtraque pœna.

25. Probatur quartò alia ratione D. Thom. quam adducit loco citato Contra gent. & innuat in præf. art. 3. ad 1. Nam qui proponit bonum temporale bono æterno cum affectu fruendi perpetuò prædicto bono temporali, & perpetuò manendi in peccato, debet eo ipſo perpetua pœna puniri: *Nam apud æternum iudicium (inquit D. Thom. loco citato Contra gent.) voluntas pro factò computatur: & nulli dubium eſt, quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur;* ſed peccans mortaliter ſe habet huiusmodi: nam imprimis per ſuum peccatum grave ponit rationem vltimi finis in bono creato auferendo eam à Deo: deinde qui proponit talem finem, habet voluntatem perpetuò peccandi, iuxta illud D. Greg. relati à D. Thom. loco relato in hac 1. 2. in præf. art. 3. ad 1. *Iniqui voluiffent ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere:* ergo peccatum mortale ex ſe, & ratione ſuz gravitatis meretur pœnam æternam. Hæc ratio eſt ſatis probabilis pro vtraque pœna.

26. Ultimò probatur aſſertio ex eodem Angelico Magiſtro loco citato Contra gent. Peccatum mortale non eſt minus demeritorium, quam meritorium actus charitatis; ſed actus charitatis exercitus adhuc in breviffima mora ex ſe eſt meritorius præmijs æterni: ergo peccatum mortale etiã ex ſe eſt demeritorium æterni ſupplicij. Maior eſt certa: nam ſicut actus charitatis eſt converſio ad Deum vltimum finem, & propterea eſt eſſentialiter meritorius, ita peccatum mortale eſt averſio à Deo vltimo fine, & æquè demeritorium. Minor verò probatur: nam voluntas per peccatum charitatis habet affe-

Sum efficacem adhzrendi perpetuo Deo ultimo fini; sed prædictus affectus est meritorius præmij æterni, iuxta dicta ratione præcedenti: ergo.

§. III.

Argumenta contra primam assertionem.

27

AD versus primam assertionem arguitur primò: Nam peccatum mortale in ratione malitiæ superat infinitas malitiæ peccatorum venialium; sed infinita malitiæ peccatorum venialium condignè merentur pœnam infinitam secundum intensionem: ergo potiori titulo quodlibet peccatum mortale est demeritorium pœnæ infinitæ secundum intensionem. ¶ Et confirmatur: Nam si offensæ peccati mortalis esset simpliciter finita, posset purus homo ad æqualitatem satisfacere pro ea, estò sit superioris ordinis, vt supponimus: quia satisfactio posset ita augeri, vel in numero, vel in intensione, vt adæquaret cum superioritate ordinis: ergo pariter si peccatum mortale non est demeritorium infinite, non est, cur peccata venialia non possint adeo multiplicari, vt adæquent totum demeritum vnus peccati mortalis.

Ad argument. respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Nam maior incomparabiliter est pœna infinita secundum intensionem, quam pœna infinita quoad extensionem, sicut maior incomparabiliter est pœna infinita simpliciter, qualis est infinita secundum intensionem, quam pœna præcisè infinita secundum extensionem, quæ est infinita tantum secundum quid. Peccata autem venialia, quamvis infinite multiplicarentur, non mererentur de condigno pœnam æternam. Unde nec mereri debent pœnam infinitam secundum intensionem. Item peccatum mortale demeretur perpetuam cærentiam visionis beatæ, cui nulla pœna sensus saltem finita potest comparari; & nulla peccata venialia hanc pœnam demerentur. Igitur cum peccata venialia in ratione malitiæ, & in ratione demeriti sint inferioris ordinis, nequeunt adæquare demeritum vnus peccati mortalis quoad adæquatam pœnam, siue damni, siue sensus, sicut infinite animæ equi non possunt adæquare perfectionem vnus animæ rationalis. Verum tamen est, quòd attenda præcisè pœna sensus quoad intensionem, valde probabile est in via D. Thom. posse esse maiorem eam, quæ pro peccatis venialibus debeatur. Et propterea D. Thom. quest. 88. seq. art. 4. postquam refert excessum pœnæ tam damni, quam sensus ex alijs capitibus peccato mortali debet, statim subiungit: *Licet forte quantum ad pœnam ignis non sint improportionabiles pœnæ.* Et vt exponit Caiet. ly. *forte non est dubitantis.*

Ad confirmationem respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia, supposita finitudine offensæ peccati mortalis, non esset caput vnde recognosceretur superioritas ordinis in offensæ supra satisfactionem, vt tract. de Incarnat. disp. 1. dicimus. Vel superioritas illius non esset tanta, quanta est peccati mortalis supra omnia peccata venialia, cum illud demeretur pœnam damni, & perpetuitatem pœnæ sensus, fecus verò ista, estò in infinitum multiplicarentur.

28 Arguitur secundò: Peccatum mortale in ratione mali est maius quocumque malo pœnæ, cum eligibilis sit quodcumque malum pœnæ, quam vnum peccatum mortale: ergo, etiam si malum pœnæ in infinitum augeatur, non adæquabit malitiam vnus peccati mortalis: ergo quodlibet peccatum mortale ex se est dignum pœna infinita intensive. Hæc secunda consequentia infertur ex prima. Et prima ex antecedenti: nam cum pœna, prout est malum creaturæ rationalis, ordinetur ad punitionem culpæ, debet esse æque mala, ac ipsa culpa; alias non puniretur adæquate.

Respondetur primò, hoc argument. fieri posse circa peccatum veniale: quia eligibilis est quæcumque pœna etiam infinita intensive, quam vnum peccatum veniale. Eligibilis enim est secundum virtutem quodcumque malum pœnæ, quam minimum malum culpæ; cum nullum malum culpæ faciendum sit propter vitandum quodcumque malum, immò nec pro conversione totius mundi. ¶ Secundò respondetur, & breuiter, quòd licet peccatum ex genere suo sit peius quam pœna; pœna autem, quatenus est punitiva, & correctiva culpæ, potest æquare, & excedere ipsam culpam. Quis enim dubitabit, quòd mors, aut suspensio, aut perpetuum exilium est pœna excedens in ratione punitionis leuissimam iniustitiam! Et tamen eligibilis est illas pœnas sustinere, quam leuissimam iniustitiam committere. Pensanda est ergo pœna in ratione mali punitivi cum culpa in ratione mali moralis, nam licet hoc absolute maius sit, potest tamen adæquari per illud in ratione punitionis.

29 Tertio arguitur: Nam semper Deus, vt est commune proloquium, punit citra condignum: ergo defectò minori pœna punit peccatum mortale in inferno, quam ex natura sua punibile est.

Respondetur, hoc argument. esse indignum Theologo, quia fieri potest, quòd Deus decernat minorem pœnam pro peccato mortali, etiam si hoc finitam pœnam mereatur. Nam cum Deus, seruat proportionem æqualitatis pœnæ ad culpam, maiorem potuerit cuiuslibet peccatum pœnam decernere intra lineam pœnæ finitæ, minorem defectò propter suam clementiam

decrevit, quam peccatum ipsum ex natura sua postulat.

30 Arguitur quartò: Peccatum mortale ex se habet condignitatem ad pœnam infinitam secundum durationem: ergo etiam ad pœnam infinitam secundum intensionem. Probatur consequentia: nam non minus gravis est pœna infinita secundum durationem, quam pœna infinita secundum intensionem, & finita secundum durationem, maxime instantaneam: ergo si peccatum mortale ex se habet condignitatem ad pœnam infinitam secundum durationem, etiam illam habet ad pœnam infinitam secundum intensionem, finitam tamen secundum durationem. Antecedens probatur: non minus meritorium esset actus charitatis vt quatuor durans per æternitatem à parte ante vsque nunc, quam actus charitatis infinite intensus durans per vnicum iustans: ergo idem de pœna discurrendum est.

Hoc argument. professò tangimus tract. de Incarnat. dub. 2. pro cuius solutione remitimus lectorem ad prædictum locum. Interim dicimus, quòd si esset efficax, probaret, visionem cuiuslibet beati in ratione beatitudinis adæquare beatitudinem diuinam ex præciso capite infinitatis, quia sola ea potest esse infinita secundum intensionem; quòd nullus dicet.

§. IV.

Argumenta contra secundam assertionem, & eius rationes.

31 **A**D versus secundam assertionem arguitur primò ex D. Thom. in hac quest. 87. art. 4. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd duratio pœnæ respondet durationi culpæ, non quidem ex parte actus, sed ex parte macule, cui perse debetur pœna æterna, quia ex se irreparabilis est: ergo iuxta Div. Thom. pœna æterna non est debita peccato mortali actuali propter suam gravitatem, sed peccato habituali propter durationem, quantum est ex se, æternam.* Idem repetit art. 5. ad 3. his verbis: *Æternitas pœnæ non respondet quantitati culpæ, sed irremissibilitati ipsius.* ¶ Adde: quia si pœna æterna corresponderet gravitati culpæ, & non tantum eius irremissibilitati, non tacuisset Div. Thom. in præf. hanc rationem.

Ad hoc argument. & primum testimonium D. Thom. respondetur, quòd reipsa idem est æternitatem pœnæ correspondere peccato habituali propter suam durationem, ac peccato actuali, quia ex vtroque completur vnicum peccatum adæquatum: & quia peccatum actuale remanet virtualiter in peccato habituali, & moraliter perpetuo in abominatione diuina. Sed

quia peccato habituali perse primò, & rationis sui competit esse irremissibile, & peccato actuali non nisi ratione illius, quia ex se cito transit, propterea Div. Thom. vt potè formalissimus in suis locutionibus, ait durationem pœnæ non correspondere peccato actuali, sed habituali.

Et dum infertur tam ex hoc testimonio, quam ex sequenti, pœnam æternam non deberi peccato mortali ratione suæ gravitatis, sed ratione suæ irremissibilitatis, Dicendum est, D. Thom. solum intendere, quòd non datur omnimoda correspondentia quantum ad extensionem, vel infinitatem inter peccatum, & pœnam, cum peccatum actuale tam quoad intensionem quam quoad extensionem sit finitum, & pœna saltem quoad extensionem sit infinita. Cum quo stat, quòd peccato mortali in brevissima mora duranti ratione suæ gravitatis respondet pœna æterna propter alias rationes Div. Thom. quas supra adduximus, & in præfenti omisit, vel quia breuiter consulebat, vel quia ratio fundata in irremissibilitate peccati habitualis evidentiore est. *Maximè*: Quia in præfenti l. solutionibus argumentorum etiam meminit aliarum rationum consulentium gravitati peccati.

32 Arguitur secundò: Pœna debet esse proportionata culpæ; sed pœna æterna non est proportionata gravitati culpæ, cum illa sit infinita saltem secundum extensionem, & gravitas culpæ sit finita tam secundum intensionem, quam secundum extensionem: ergo peccato mortali ratione suæ gravitatis non est debita pœna æterna.

Hoc argument. statim corrui, si in peccato attendatur irremissibilitas illius. Sed quia in eo fit reflexio supra gravitatem peccati, Respondetur, saltem ex vi tertiæ rationis adductæ num. 24. aperte deduci pœnam æternam esse proportionatam, immò minorem gravitate peccati, cum peccatum in ratione offensæ sit simpliciter infinitum; & pœna æterna sit finita simpliciter, & infinita tantum secundum quid. Et certe si hoc argumentum esset efficax, probaret vtiq; pœnam non debere esse diuturniorem quam culpam: cuius falsitas experimento constat in humanis, nam insitè insignitur exilium perpetuum propter peccatum durans per brevissimum spatium.

33 Arguitur tertio, & præcipue procedit contra quartam rationem. Nam ideo peccato mortali deberetur pœna æterna, quia quantum ad esse dum æternum est; sed ex hoc non sequitur: ergo ex vi prædictæ rationis non debetur peccato ratione suæ gravitatis pœna æterna. Minor probatur: quia propositum peccandi per totam æternitatem, & durans per vnum instans non est æqualis malitiæ, neque meretur tantam pœnam, ac si durasset physice & formaliter

licet tale propositum, quia si durasset per aternitatem haberet malitiam simpliciter infinitam, & durans per vnicum instantem habet malitiam simpliciter finitam: ergo ex eo, quod peccatum mortale ex se, & quoad effectum sit aeternum, non sequitur deberi ei poenam aeternam, proindeque illa propositio D. Thom. *Apud divinum iudicium voluntas pro facto computatur*, non est vera.

Ad hoc argument. respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Cuius probatio non verget. Et ut ita appareat, Nota primo cum Ferrara loco citato Contra gent. propositionem Div. Thom. intelligi tantum de voluntate absoluta & efficaci, non vero de voluntate inefficaci, & conditionali. Qui enim habet voluntatem absolutam & efficacem furandi, si obvenerit ei aliquod impedimentum impediens furtum, apud Deum iudicatur, ac si defecto furatus fuisset, & idem poenae obstrictus manet saltem quoad poenam primariam tam sensus, quam damni. ¶ Nota secundò, quod voluntas inclusa in peccato mortali est absoluta & efficax in ordine ad aver-tendam seipsam à Deo aversione ex se perpetua, quia ex se privat perpetuò gratia, quae est vnicum principium ad removendam praedictam aversionem. Idemque dicimus de conversione ad bonum commutabile. Unde quantum ad istos effectus peccatum mortale in brevissima mora patratum eodem modo se habet, ac si durasset perpetuò, & propterea computatur apud Deum, ac si perpetuò duraret: quamvis ad alia voluntas non sit absoluta & efficax, nec praestet eundem effectum peccatum parvo tempore durans, ac si diu durasset; & ita se habet incrementum malitiae, & demeriti. Et his iam constat ad probationem minoris, quin sit necesse aliquid addere.

34 Sed dices, in hac solutione fieri recursum ad perpetuitatem peccati habitualis consistentis in aversione praedicta ex se perpetua: ergo non satisfit argumento atenta fela gravitate quasi intensiva ipsius peccati.

Respondetur negando antecedens. Quia ipsum peccatum ex meritis proprijs includit affectum absolutum & efficacem manendi perpetuò in peccato: cum reipsa inducat talem effectum, quod sufficit, ut fundet ex se, & praeservet à peccato habituali tanquam à ratione fundamentali peccatum poenae aeternae, & haec debeat ei ratione suae intensivae gravitatis.



DUBIUM IV.

An peccato veniali persè, sive per accidens condignè debeat poena aeterna?

Circa hanc difficultatem triplex versatur sententia. Duplex extrema, & alia media. Prima extrema affirmat, estque illorum qui nullum discrimen ex natura sua agnoscunt inter peccatum mortale, & veniale. Cui adhæret modus dicendi aliorum asserentium, peccatum veniale persè mereri de condigno poenam aeternam, per accidens tamen deberi ei poenam temporalem ob connexionem cum gratia, ideoque si coniungatur cum mortali, persè meretur poenam aeternam.

Secunda extrema negat, peccato veniali sive persè, sive per accidens, sive separato, sive coniuncto cum peccato mortali deberi poenam aeternam. Ita Scotus in 4. dist. 21. quest. 1. §. In ista questione, & communiter eius discipuli cum alijs.

Tertia media docet, peccatum veniale persè tantum mereri poenam temporalem, per accidens tamen deberi ei poenam aeternam ob connexionem cum peccato mortali. Ita Div. Thom. in praef. art. 5. ad 3. & cum eo omnes Thomistae, inter quos NN. Salmant. in hoc tract. disp. 17. num. 73. D. Bonav. 4. dist. 21. part. 1. art. 1. quest. 1. ad vitim. Suarez de Assib. human. tract. 5. disp. 7. sect. 4. Vazquez disp. 141. c. 2. & communiter Theologi.

§. I.

Duplex assertio:

35 Dicendum est primò, peccatum veniale persè non mereri poenam aeternam, proindeque, etiam si coniungatur cum mortali, non ei deberi persè poenam aeternam. Ita D. Thom. quest. 7. de Malo art. 10. vbi ait: *Veniale peccatum non meretur poenam aeternam ex specie sua, neque ex parte inherentiae ad subiectum, persè loquendo, quia non privat gratia*. Ex quibus vitimis verbis eruitur ratio probativa huius conclusionis, & proponitur sub hac forma.

Peccatum, quod non tollit ex se amicitiam & conjunctionem cum Deo, non potest esse ex se dignum poena aeterna; sed peccatum veniale est huiusmodi: ergo non meretur persè poenam aeternam. Minor cum consequentia tenet; alias non distingueretur à peccato mortali. Maior verò probatur: tum ob oppositas rationes convenientes peccato veniali ijs, quae competunt peccato mortali, & quas dub. praeced. enume-

Dub. IV. An peccato veniali persè, sive per accidens condignè debeat

enmeravimus. Tum etiam: quia iam peccatum veniale committens, & existens in gratia perse, & simul esset dignus vita aeterna, & poena aeterna, cum ratione gratiae & amicitiae cum Deo persè sit dignus vita aeterna: ergo peccatum, quod non tollit amicitiam & conjunctionem cum Deo, non potest esse dignum ex se poena aeterna.

Ex quo manet probata secunda pars nostrae assertionis. Nam peccatum veniale iunctum cum mortali non extrahit illud à linea peccati venialis, neque communicat ei indignitatem ipsius peccati mortalis, sicut gratia cuilibet operi bono morali communicat dignitatem ad gloriam: ergo nec coniunctum cum peccato mortali persè meretur poenam aeternam.

36 Obijcies primò: Peccatum veniale est offensa Dei; sed omnis offensa Dei est digna poena aeterna, iuxta dicta num. 21. & 24. ergo ex se meretur poenam aeternam. ¶ Secundo: Nam maior est offensa peccati venialis contra Deum, quam offensa gravis contra personas creatas, sed offensa gravis contra personas creatas ex se condigne meretur poenam aeternam: ergo, ¶ Tertiò: Nam quodlibet opus bonum in gratia factum condignè meretur vitam aeternam: ergo quodlibet opus malum cum peccato mortali coniunctum ex se meretur poenam perpetuam. ¶ Quarto, & urgentius. Nam infinitis saltem peccatis venialibus debetur persè poena infinita, quia cuilibet respondet aliqua poena determinata quoad intentionem: ergo etiam poena aeterna propter eandem rationem.

Ad primam obiectionem respondetur, quod peccatum veniale solum est offensa legis Dei, & secundum quid, non tollens ab eo rationem vltimi finis, neque amicitiam & conjunctionem cum eo, & propter hanc rationem non debetur ei poena aeterna. ¶ Ad secundam respondetur, negando antecedens: quia offensa gravis contra personam creatam ex se est offensa gravis contra Deum, iuxta illud Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. ¶ Ad tertiam respondetur, quod gratia insitit in omne opus bonum iusti, & propterea communicat ei suam condignitatem ad vitam aeternam. At peccatum mortale nullum insituum praestat peccato veniali cum eo coniuncto, ideoque hoc non fit ex se dignum poena aeterna. ¶ Ad quartam respondetur casum esse impossibilem, non quia creatura rationalis non possit esse ab aeterno, sed quia, cum non possit peccare in primo instanti suae creationis, peccata venialia non forent ab aeterno, nec infinita in actu, sed adsummum infinita in potentia à parte post. Data tamen hypothefi, potest negari, quod infinitis peccatis venialibus debeatur poena infinita secundum intentionem: quia, cum sint inferioris ordinis, non adaequant poenam debitam vni peccato mortali in ratione offensae, si-

cut nec infinita merita puri hominis adaequant offensam infinitam vnius peccati mortalis, ideoque poena eis debita nequit compensari poena aeterna. Verum tamen est, quod poena sensus secundum intentionem tantum considerata, eis debita, potest esse maior, & forte infinita: Sed non recte compensarentur poena aeterna maxime damni, quia haec est superioris ordinis, & incompatibilis cum gratia & amicitia Dei, quam nulla peccata levia adhuc in infinitum multiplicata possunt auferre. Adde: Quod est totum concedatur obiectioni, nihil infertur contra nostram assertionem, in qua tantum investigatur poena debita cuilibet peccato veniali, ut inde minima eius malitia deprehendatur.

37 Dicendum est secundò, probabile esse, peccatum sive mortale, sive veniale dimissum in hac vita quoad culpam, & non quoad poenam, non puniri nisi poena temporali in inferno; at probabilius esse puniri poena aeterna. Quoad primam partem probatur ex D. Thom. in 4. dist. 22. quest. 1. art. 1. ad 5. vbi ait: *Sed hoc non videtur simile: quia veniale ideo in inferno aeternaliter punitur, quia semper manet, cum non sit ibi aliquid, quod culpam delere possit; sed poena ex hoc ipso quod solvitur, expiatur. Et ideo alij dicunt, quod poena, cuius est aliquis debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, quod sit in inferno redemptio: quia poena, qua solvitur, non redimitur*.

Ex quibus verbis probatur haec prima pars conclusionis. Nam ad solvendam poenam non requiritur status gratiae, sed sufficit, ut solvatur iuxta praescriptum iudicium: ut patet tum in humanis, vbi ad solvendam poenam non requiritur, ut reus sit reconciliatus cum offenso: tum in divinis, nam damnati condignè solvunt poenam aeternam, estò non sint in gratia Dei: ergo etiam condignè possunt solvere poenam temporalem debitam peccatis in hac vita remissis. ¶ Et confirmatur: Deus in huiusmodi poenis applicandis solum intendit, ut culpa delinquentis corrigatur; sed culpa corrigitur per solutionem poenae temporalis relictae, si iam est dimissa: ergo. Adde: Nam, remissa iam culpa, nulla est necessaria remissionis gratia, sed praesens solutio poenae à Iudice taxata; sed hanc adaequalitatem solvunt damnati: ergo. ¶ Accedunt argumenta, quae infra adducemus pro sententia Scoti, quae satis probabiliter reddunt partem primam huius assertionis. Quem modum sequuti sunt NN. Salm. tract. 24. quest. 88. art. 1. in Comment. pag. 640.

38 Quoad secundam partem probatur eadem assertio ex D. Thom. in 4. dist. 21. quest. 1. art. 2. questione. 3. vbi ait: *In illis, qui damnantur, non potest aliqua poena dimitti, neque aliquis reatus tolli, cum careant charitate, per quam culpa purgatur, & reatus tolli*.

folitur: & ideo culpa venialis in eis semper manebit; vel reatus eius (perpende verba) si etiam ante peccatum mortale veniale dimissum fuisset quantum ad culpam, manente reatu. Quæ verba probabiliorum reddunt hunc modum dicendi, quam precedentem, eò quod ita determinat ex propria sententia, cum priorum modum asserat fortè ex sententia aliorum, vt quilibet cordatus dubitabit recolens testimonium num. præced. adductum.

Et probatur ratione proximè insinuatà à S. Doctore. Nam damnatus semper manet sub reatu ad penam non dimissam in hac vita: ergo puniri debet pœna æterna. Antecedens probatur: nam qui aliquid debet sive parum, sive multum, & non solvit, semper manet sub reatu ad solutionem; sed damnatus est huiusmodi: ergo manet semper sub reatu ad penam non dimissam in hac vita. Minor probatur: nam solutio pro peccato debet esse Deo grata & acceptabilis, sed pœna, quam damnatus patitur, non est Deo grata & acceptabilis ex defectu charitatis: ob quam rationem asserunt communiter Theologi hominem existentem in peccato mortali non solvere in hac vita pœnas ex peccatis remissis relictas: ergo damnatus non solvit in inferno pœnas debitas peccatis remissis. ¶ Et confirmatur: nam indulgentiæ applicatæ pro damnatis nihil illis profunt, quia existens in peccato meretur, vt nulla satisfactio pro illo acceptetur: ergo etiam meretur, vt nulla pœna pro peccatis debita acceptetur.

Supersit tamen occurrere motivis num. 37. adductis. Ad testimonium Div. Thom. satis constat ex supra dictis, quia non est omnino certum prædicta verba esse prolata à S. Doctore ex propria sententia. ¶ Ad rationem respondeatur negando antecedens. Nec exempla omnino evincunt: Non primum ex lege humana desumptum: quia non tam intendit rigorosam & propriam solutionem pœnæ, quam correctionem culpæ, & terrorem ad illam. Nec secundum ex lege divina, quoad pœnas damnatorum acceptum: Nam aliud est, quòd pœna eis infligita sit debita; aliud quòd per eam condignè solvant. Primum est verum: sed secundum falsum ob rationem nostræ assertionis. Hunc modum amplectuntur vt probabiliorum prædicti Patres in hoc tract. disp. 17. num. 75.

§. II.

Tertia, & ultima assertio.

39 **D**icendum est tertio, peccatum veniale non remissum quoad culpam, & coniunctum cum mortali puniri pœna æterna in inferno. Ita perpetuò docet Div. Thom. tum in præf. quest. 87. art. 5. ad 3. Tum quest. 7. de Mal. art. 10. in corp. vbi

post verba relata num. 35. statim subiungit: *Sed per accidens sit irremissibile peccato mortali coniunctum, in quantum est in subiecto privato gratia*: & sic per accidens punitur pœna æterna. Tum quest. 5. de Malo art. 2. ad 8. vbi ait: *Peccatum veniale in eo, qui de cedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æterna pœna punitur, propter gratiæ carentiam*. Tum denique in 4. dist. 21. quest. 1. art. 2. quæsiunc. 3. vbi idem docet, & efficacem rationem tradit his verbis: *Culpa non potest ordinari nisi per penam: quia Deus nihil inordinatum relinquit, ideo nunquam culpam sine pœna dimittit. In illis autem, qui damnantur, non potest aliqua pœna dimitti, neque aliquis reatus tolli, cum careant charitate, per quam culpa purgatur, & reatus tollitur*: & ideo culpa venialis in eis semper manebit: & propter hoc æternaliter damnati de venialibus punientur.

Quæ ratio reducit ad hanc formam: Nam tandiu durat pœna, quandiu durat culpa, & propterea pœna peccati mortalis est æterna, quia culpa est æterna, vt vidimus num. 22. & non negat Scotus; sed peccatum veniale coniunctum cum mortali est æternum: ergo æterna debet esse pœna. Minor probatur: quia nulla culpa remittitur absque gratia; sed damnatus manet gratia perpetuò privatus: ergo peccatum veniale in inferno est æternum. Maior probatur: nam ad remissionem cuiuscumque peccati requiritur, saltem defectus, ex parte peccatoris aliquis actus retractivus; sed hic nequit elici sine auxilio gratiæ: ergo nulla culpa remittitur sine gratia. *Roboratur*. Nam damnatus est cum continuo affectu, & obstinatione ad illud; cum maneat perpetuò obstinatus ad omnia peccata, quæ commisit; sed chimæricum videtur peccatum remitti in eo momento, quo peccator habet affectum ad illud: ergo peccatum veniale in inferno est perpetuum.

40 Respondent Scotista cum suo subtili Doctore, nullam gratiam esse necessariam ad remissionem culpæ, cum macula ex peccato actuali relicta solum consistat in destinatione ad penam, proindeque ad sui remissionem non est necessaria nisi solutio debita pœna.

Hac evasio videtur opponi sacre Scripturæ, dum Iosue 22. dicitur: *An parum vobis est, quòd peccastis in Beelphegor, & usque in presentem diem macula huius sceleris in vobis permanet*: ergo aliquid relinquitur in anima ex peccato actuali, per quod intrinsicè manet maculata, immunda, & Deo invisa; sed totum hoc nequit verificari per solam destinationem ad penam: hæc enim est quædam denominatio extrinseca proveniens ab actu voluntatis divinæ, anima verò ex peccato actuali manet intrinsicè maculata: ergo macula peccati habitualis non consistit in destinatione passiva ad

ad

ad penam, sed in aliquo de genere mali moralis; hoc autem nullatenus potest auferri nisi per actum retractivum dependentem à gratia: ergo. ¶ Adde, quòd prædicta evasio videtur incidere cum vna ex propositionibus Michaelis Baij Doctoris Lovan. damnatis in Bulla Pij V. & Greg. XIII. quæ est huiusmodi: *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transiente actu nihil manet nisi reatus, & obligatio ad penam*. Sed quid sit de hoc, hæc solutio evidenter impugnat sequenti ratione.

Nam transacto actu peccati, sive mortalis, sive venialis, & non retractato, homo denominatur formaliter maculatus, & peccator; sed non ex destinatione ad penam: ergo per aliquid, quod habeat veram rationem culpæ. Maior ex pluribus sacre paginæ testimonijs potius debet supponi, quam probari. Minor verò probatur: Tum quia destinari, aut ordinari ad penam est bonum, & à Deo directè intentum: sicut puniri non est malum, sed malum est fieri dignum pœna, vt dicit Dionis. cap. 4. de Divin. nomin. sed esse peccatorem est malum: quia est esse dignum pœna: ergo denominatio peccatoris non provenit ex destinatione ad penam. Tum etiam: nam actus voluntatis divinæ ordinantis ad penam supponit culpam, quæ homo est dignus, vt ordinetur ad penam: ergo à culpa, & non à pœna dicitur, & est homo peccator.

Adde primò: Nam etsi Deus statuisset nullam inferre penam peccato, adhuc homo diceretur, & esset maculatus, immundus, & Deo invisus: ergo non à destinatione ad penam dicitur peccator. ¶ Adde secundò: Nam damnati in inferno committunt plura peccata, novaque maculas ex eis relictas contrahunt, & tamen non destinantur à Deo ad aliquam penam, quia iam existunt in termino: sicut nec beati propter opera bona, quæ eliciunt, præmiantur: ergo.

41 Propter hæc aliqui Scoti discipuli, suum Magistrum interpretantes, asserunt, ipsum pro deputazione ad penam intellexisse condignitatem ad illam.

Rectè: Ergo, transacto actu peccati, manet condignitas ad penam: ergo aliquid culpæ; sed hæc nequit, saltem de potentia ordinaria, remitti sine sui retractatione, quæ in inferno locum non habet, neque pœna cessat, nisi cessante culpa: ergo quodlibet peccatum sive mortale, sive veniale in inferno debet puniri pœna æterna. Secunda consequentia constat. Prima autem probatur: nam condignitas pœnæ est proprietas consequens culpam, sicut condignitas ad præmium est proprietas actus boni meritorij; non enim aliquis est peccator, quia est condignus pœna, sed contra est dignus pœna, quia est peccator: ergo si, transacto actu pecca-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

ti, manet condignitas pœnæ, etiam remanere debet aliquid culpæ.

42 Si verò respondeant Scotista, totam condignitatem, & ordinationem ad penam provenire ex culpa præterita. ¶ Contra est primò: Nam si ex præterita culpa manet homo dignus, & ordinatus ad penam: ergo ex eadem culpa est, & denominatur peccator: ergo peccatum actuale manet saltem moraliter: ergo necesse est, quòd culpa præterita retractetur, vt non denominetur peccator. ¶ Roboratur hoc: Nam vt homo tunc maneat ordinatus ad penam, non sufficit, quòd fuerit peccator, alias iustificatus maneret ordinatus ad penam æternam, cum fuerit peccator: ergo debet nunc esse dignus pœna, ac proinde peccator: oportet ergo, vt peccatum remittatur, quòd vel retractetur, vel liberaliter condonetur; sed in inferno non datur locus nec ad retractationem, nec ad gratiosam condonationem: ergo peccatum in hac vita non remissum ibi non remittitur; sed non remissa culpa manet condignitas ad penam: ergo pœna debita peccato veniali, & coniuncto in inferno cum peccato mortali est æterna.

Secundò. Nam falsum est, peccatum habituale consistere in peccato actuali præterito non retractato: quia peccatum originale non consistit in peccato actuali Adami, prout à nobis non retractato, vt contra Albertum Pighium, & Ambrosium Catherinum arguunt multis maximè ex Trident. communiter Theologi, & nos late probavimus disp. præc. à num. 116. Sed eadem ratio militat pro peccato habituali, sive mortali, sive veniali: ergo peccatum habituale sive mortale, sive veniale non consistit in peccato actuali non retractato.

Et confirmatur. Nam denominatio exprimens permanentiam, statum seu modum essendi fixum & quietum nequit provenire à forma citò transiente, & habente ex se modum tendentiæ & motus; sed denominatio peccatoris dicit aliquid permanentis & fixum; & peccatum actuale est quid citò transiens, & adinstar tendentiæ & motus: ergo denominatio peccatoris non provenit ab actu peccati. Utraque præmissa constat in denominatione iusti.

§. III.

Argumenta Scoti.

43 **A**rguitur primò autoritate Divi Augusti. lib. 6. contra Iulianum cap. 8. vbi post actum peccati nihil agnoscit in peccatore nisi solum reatum, qui non manet in corpore, aut in anima eius, vt ipse ibidem ait, sed in occultis legibus Dei, quæ scriptæ sunt in mentibus Angelorum. Quæ autoritate movetur Vazquez hic disp. 132. cap. 3. ad asserendum.

dum, S. August. in ea fuisse sententia, nempe quod originale peccatum consistit in solo reatu, seu obligatione ad pœnam. Sed ad hoc argumentum satis respondetur supra num. 4.

44 Arguitur secundo: Nam peccato veniali persè debetur pœna temporalis, ut supra probavimus: ergo etiam coniuncto cum mortali debetur pœna temporalis. Probatur consequentia: Tum quia peccatum veniale, ex eo quod coniungatur cum mortali, non fit mortale, sed adhuc remanet veniale: ergo, si ei persè debetur tantum pœna temporalis, etiam ut coniuncto cum mortali. Tum etiam, nam alioquin nullum esset discrimen inter peccatum mortale, & veniale.

Et confirmatur. Deus, ut tenet axioma Theologorum, punit citra condignum, & præmiat ultra condignum; sed dato, quod peccatum veniale puniatur pœna æterna, illud in infinitum ultra condignum puniretur, cum solum fit ei debita persè pœna temporalis: ergo non puniatur pœna æterna.

Ad argument. respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dicendum est, quod veniale coniunctum cum mortali non fit mortale: ideoque asserimus, quod adhuc ut coniunctum cum mortali non meretur persè condigne, sed tantum per accidens pœnam æternam. Hoc namque illi convenit non ratione intrinsicæ malitiz, sed ratione subiecti non admittentis gratiam, ex cuius carentia fit per accidens irremissibile, & propterea debet æterna pœna puniri. Per quod constat ad secundam: Si quidem semper manet discrimen inter peccatum mortale, & veniale, præter alia innumera, quod mortale persè excludit gratiam, & persè est irremissibile; veniale autem nec persè, nec alio modo est exclusivum gratiæ, sed vel non excludit, vel supponit exclusivam, & ita tantum per accidens est irremissibile.

Ad confirmationem respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Nam ut Deus dicatur punire peccatum veniale citra condignum, sufficit, quod puniat illud minori pœna sensus, quam ex se meretur; quamvis ex coniunctione cum peccato mortali in inferno, & propter incapacitatem subiecti ad illius remissionem puniatur pœna æterna, ad quam expressè capite habet condignitatem modo dicto §. 1.

Arguitur tertio: Si peccatum veniale iunctum cum mortali in inferno puniretur pœna æterna, sequeretur, multa venialia equali pœna puniri in inferno, ac vnum peccatum mortale; hoc non debet admitti: ergo peccatum veniale non puniatur pœna æterna, est coniunctum cum mortali. Sequela probatur: nam pœna intensiva tam sensus, quam damni debita

peccato mortali, est finita; sed debile est, quod tot multipliciter peccata venialia, ut eorum pœna æquet, immo excedat pœnam quocumque finitam: ergo quoad prædictas pœnas intensive sumptas pœna peccatorum venialium potest æquare: ergo si puniuntur aliis pœna æterna, esset absolute æqualis.

Ad hoc argument. respondetur, nullum inconveniens esse concedere, quod pœna sensus debita pluribus peccatis venialibus quoad intensionem sit æqualis cum pœna sensus debita vni peccato mortali, ut diximus ex D. Thom. num. 27. Nec absurdum aliquid videtur, si concedatur, quod per accidens, & ex incapacitate subiecti sit æqualis quoad extensionem non solum prædicta pœna, sed etiam pœna damni. His non obstantibus adhuc remanet aliud caput, ex quo merito potest dubitari, an pœna adæquata, & debita peccato mortali possit adhuc per accidens æquari à pœna debita multis peccatis venialibus quoad intensionem. Cuius resolutio pendet ex dicendis dub. sequenti, vbi investigandum est, an peccata mortalia sint inæqualia quoad pœnam damni secundum suum conceptum primarium. Cuius iudicium suspendimus quantum ad præsens atinet vsque ad num. 52. & sequent.

46 Arguitur quarto: Peccatum veniale habituale consistit in obligatione, & deputatione ad pœnam: sed ex se solum meretur pœnam temporalem: ergo solum per pœnam temporalem remittitur, est coniunctum cum mortali. Conseq. videtur legitima: nam peccatum quod in sola obligatione ad pœnam consistit, non indiget ad sui remissionem, & extinctionem aliqua gratia extrinseca, sed tantum solutione pœnæ. Maior verò probatur: quia, transacto actu peccati, nihil manet in homine, à quo denominetur peccator, præter obligationem ad pœnam ut patet tam in humanis, quam in divinis: in homine enim offendente Principem, post offensam nihil manet, quò dicitur inimicus Principis, nisi solus actus ipsius Principis ordinantis offendentem ad pœnam condignam: item transacto actu meriti in iusto, nihil manet nisi actus divinæ voluntatis ordinantis ad maius præmium, maxime si actus meritorius non angeat gratiam ob maiorem sui remissionem: ergo. Adde: quia non est assignabile, quid relinquatur ex peccato veniali; in quo macula eius habitualis consistit.

Ad hoc argument. respondetur negando maiorem ad cuius probationem negandum est antecedens. Nam ex peccato veniali reverà resultat privatio fervoris charitatis, & in hoc potius, quam in obligatione ad pœnam consistit macula peccati venialis, de qua privatione forte exprefeso agemus in tract. de Iustificat. occasione eius remissionis. Nec duo exempla in argumento alla-

allata huic doctrinæ officiant. Non primum: nam ex peccato offendente Principem præter maculam vel mortalem, vel venialem resultat offensiva passiva moraliter recepta in ipso Principe, ex qua oritur condignitas ad pœnam, quam Princeps iuste decernit. Unde falsum est, quod maneat solus actus ipsius Principis destinantis eius offensorem ad pœnam. Nec secundum: nam actus meritorius saltem moraliter remanet in gratia, vbi relinquit ius ad maius præmium, & huic iuri correspondet actus divinæ iustitiæ, & voluntatis ordinantis iustum ad præmium illud. Maxime: Quia si paritas aliquid convinceret, argueretur ex ea, nec ex peccato mortali, nec ex originali originante relinqui aliquid intrinsecum. Cuius oppositum satis constat ex latè dictis disp. præc. dub. 4.

DUBIUM VI

An culibet peccato mortali debeat pœna sensus, & pœna damni? Et an pœna damni sit in omnibus equalis?

Hanc duplicem difficultatem sub vno dubio comprehendimus, quia prima parum habet negotij. Et licet divisio pœnæ in pœnam sensus, & pœnam damni sit apud omnes recepta, sub aliquo dubio est, quid ad vnanquamque pertinet. Quod breviter sequenti §. per modum suppositionis declarandum est.

§. I.

Suppositio quæ ad eam naturam utriusque pœnæ.

47 Supponendum est, pœnam damni consistere in privatione perfectionis ex aliquo titulo debite: pœnam verò sensus in aliquo positivo cruciatu. Hoc satis constat ex etymologia nominum: nam *damnum* à *demendo*, vel *diminuen*to desumitur, quod proprie significat ablationem & diminutionem bonorum, quæ quis possidet, vel ei debentur: & propterea pœna damni dicitur privatio bonorum, quæ homini ex divina promissione debentur, inter quæ primum locum tenet privatio visionis beate, quæ per antonomasiam dicitur *pœna damni*. Ad quam reducitur privatio gratiæ habitualis, quæ est in peccatoribus huius vite, & in damnatis, & subtractio divinorum auxiliorum, quoties habent rationem pœnæ.

Pœna sensus sumpta est ab afflictivo corporeo, sive à positivis cruciatibus, qui sensibus percipiuntur. Et hac ratione illa supplicia, quibus persona in seipsa torquetur, *pœna sensus* dicitur. Et inde translata est ad significandum pœnam illam spirituales, quibus substantiæ puræ

spirituales, ut sunt animæ rationales, & Angeli positive, & directè torquentur.

48 Dubium tamen est, ad quam ex istis pœnis pertineat dolor ille, qui ex amissione beatitudinis confurgit? nam aliqui ad pœnam sensus reducunt, alij ad pœnam damni. Sed questio hæc nostro iudicio est de nomine. Maxime si supponatur ex dictis num. 16. dolorem, prout indicat actum voluntatis, non habere rationem pœnæ, quia est actus adæquate voluntarius, ut potè elicitus à voluntate. At quia talis dolor consequitur pœnam, merito potest reduci ad pœnam damni, sicut dolor consequens pœnam sensus, reducitur ad pœnam sensus, & sicut amissio alicuius boni, quod necessario sequitur ad positivum cruciatum, etiam reducitur ad pœnam sensus. Nam pro hac reductione, nec non pro adæquata, & legitima divisione utriusque pœnæ attendendum est, quod est præcipuum, & primum in vnaquaque pœna. Itaque, cum pœna damni consistat præcipue & primò in carentia beatitudinis, in ea salvatur vera essentia pœnæ damni, etiam nullus dolor sequatur, ut in pueris existentibus in limbo contingit, iuxta infra dicenda: & si talis dolor confurgit, ut in damnatis, ad pœnam damni reduci debet. Et cum pœna sensus consistat persè primò in prædicto positivo cruciatu, in eo salvatur ratio talis pœnæ, licet nulla amissio bonorum sequatur; & si talis amissio sequitur, ad eam reduci debet.

49 Sed inquires, an animæ existentes in purgatorio patiantur pœnam damni in dilatione visionis beate? Oritur dubium ex eo, quod hæc pœna solum correspondet peccato ratione averisionis, & ideo vbi non datur locus averisioni, talis pœna non debet dari: constat autem in animabus purgatorij non dari averisionem: ergo non habet locum pœna damni.

Nihilominus dicendum est, huiusmodi dilationem reduci ad pœnam damni. Ita colligitur ex D. Thom. in 4. dist. 21. quest. 1. art. 1. quest. 1. 3. vbi ait: *In purgatorio erit duplex pœna: una damni, in quantum scilicet retardatur à divina visione*. Et ratio brevis est: nam prædicta dilatio est pœna, est enim mala, & disconveniens animabus purgatorij; & cum non sit malum culpæ, necesse est, quod sit malum pœnæ iuxta doctrinam traditam à D. Thom. 1. part. quest. 48. art. 5. sed non pertinet ad pœnam sensus: ergo pertinet ad pœnam damni. ¶ Et confirmatur. Nam dato, quod pœna damni sit debita peccato tantum propter averisionem, adhuc remanet aliquid averisionis quoad aliquem effectum, licet non in se, post remissionem peccati mortale: ex eo quod averisio non plene satisfacta est, & propterea commutatur pœna æterna damni in temporalem dilationem visionis: sicut pœna æterna sensus, quæ erat debita conversioni, commutatur in pœnam

temporalem sensus propter eandem rationem. Item peccatum veniale etiam affert secum suam prolem averfionem, inquantum ponit obicem conversioni ad Deum: ideoque, si non est satisfacta, necesse est, quòd differatur ad tempus beatitudo, cuius carentia correspondet prædicto obici. Ex quibus fatis liquet ad rationem dubitandi.

Nota tamen, prædictam penam damni esse talem præcisè secundum quid, quia est temporalis, & pœna temporalis est tantum secundum quid respectivè ad penam æternam. Et propter eandem rationem privatio gratiæ, & auxiliorum in hac vita secundum se est pœna damni secundum quid.

Hic occurrit, quid dicendum sit de existentia SS. PP. in limbo, seu in sinu Abraham. Et quidem ex vna parte videtur non deberi eis pœna, cum ad illum locum non descenderint, aut transierint nisi post plenam satisfactionem culpæ: & ex alia aliquo dolore affligebantur ex dilatione gloriæ, quam fœmopere sperabant. ¶ Respondendum tamen est, quòd dilatio gloriæ in illis habuit rationem pœnæ damni non simpliciter, sed tantum secundum quid iuxta proximè dicta, eratque minor quam pœna animarum purgatorij. Ratio resolutionis desumitur ex Div. Thom. 3. part. quæst. 52. art. 5. Nam licet Sancti Patres in hac vita per fidem Christi ab omni peccato tam originali, quam actuali, & à reatu pœnæ actualium liberati fuerint, non tamen ab omni reatu pœnæ originalis peccati, per quod præcludebatur aditus ad gloriam usque ad mortem Christi: sicut non oblitante, quòd pueri liberentur per baptismum à peccato originali, adhuc remanet ex illo reatus ad subeundam mortem corporalem. His ita prælibatis respondetur quæstis sequentibus assertionibus.

§. II.

Duplex resolutio duobus quæstis respondens.

50 **D**icendum est primò, cuilibet peccato mortali personali deberi utramque penam, videlicet sensus, & damni. Ita communiter Theologi cum Div. Thom. in præf. quæst. 87. art. 4. Cuius ratione probatur: nam pœna debet esse proportionata culpæ; sed cuilibet peccato mortali est proportionata utraque pœna: ergo utraque pœna est debita cuilibet peccato mortali. Minor probatur: nam duo sunt in peccato mortali, scilicet averfio à Deo, & conversio ad bonum commutabile; sed pœna sensus est proportionata conversioni, & pœna damni averfioni: ergo utraque pœna est proportionata peccato. Minor quoad primam partem probatur: nam conversio affert secum intrinsecè inordinatam delectationem; sed nulla pœna aptior potest proportionari cum tali de-

lectatione, quam pœna sensus iuxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificavit se in delictis, tantum date illi tormentum, & iustum*, ad quòd venit illud adagium hispanicum *A buen bocando buen grito*: ergo pœna sensus est proportionata conversioni. Quoad secundam partem etiam probatur eadem minor: nam malitia averfionis consistit in separatione creaturæ à Deo; sed huic separationi creaturæ nulla pœna aptior potest proportionari, quam separatio Dei à creatura, quæ fit media pœna damni consistenti in privatione gratiæ, & visionis beatificæ: ergo etiam pœna damni est proportionata averfioni.

51 Sed obijcies: Nam ex vi huius rationis sequitur, quòd pœna damni correspondeat soli averfioni, & pœna sensus soli conversioni; sed hoc est falsum; ergo ex vi huius rationis non rectè probatur nostra assertio. Minor probatur: tum quia conversioni etiam debet correspondere pœna damni, cum sit intransitive conversio averfiva à Deo. Tum etiam: quia iuxta Div. Thom. pœna sensus debetur peccato ea parte, quæ est voluntarium voluntate propria: & hac ratione docet idem S. Doct. quæst. 5. de Mal. art. 2. ad 4. peccatum originale solum puniri pœna damni, quia tantum fuit voluntarium voluntate capitivæ; sed etiam averfio est voluntaria voluntate propria: ergo competit ei pœna sensus. Tum denique: nam ex hac ratione sequitur, peccato puræ omissionis non deberi utramque pœnam, sed tantum pœnam damni, quia in eo non datur conversio, sed pura averfio: & quòd possibilibus sit talis pura omisfio, asseritur à pluribus, & gravissimus Theologus tam intra, quam extra Scholam D. Thom. vt vidimus in suo loco.

Hæc obiectio benè perpensa potius confirmat, quam enervat nostram assertionem, quidquid sit de accommodatione prædictarum pœnarum, in qua attendit D. Thom. ad id, quod potissimè relictur in vnaqueque ex prædictis malitijs. Unde cum in averfione præcipue relictur malitia averfiva à Deo, ei præcipue debet correspondere pœna damni: licet quia habet inclusam rationem voluntarij, merito potest dici, quòd etiam correspondet ei pœna sensus. Et proportionabiliter, cum in conversione relictur præcipue tendentia ad bonum commutabile, ex qua oritur delectatio, præcipue debet ei correspondere pœna sensus; quamvis debita sit etiam pœna damni, quia intransitive est conversio averfiva. Per quòd constat ad duas priores probationes.

Ad tertiam respondetur, nihil concludi contra nos, qui oppositum defendimus. Sed admittit per possibile, vel impossibile omisfione pura voluntaria, probabile est deberi ei utramque pœnam. Ad quòd sufficit, vt in illo peccato omisfionis detur conversio interpretativa, quam non negant Authores prædictæ sententiæ.

Licet

Licet probabilius sit oppositum, vt non obscure colligitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 79. art. 4. ad 4. vbi ait, omisfioni deberi pœnam sensus præcisè propter conversionem actus, qui est causa & radix illius. Hæc igitur sublata, non manet, per quid pœna sensus ei debeatur.

52 Dicendum est secundò, penam damni non esse æqualem in omnibus damnatis. Hæc assertio licet non habeatur expresse in D. Thom. est tamen consentanea eius doctrinæ. Eamque amplectuntur plures, & gravissimi Theologi tam intra, quam extra Scholam D. Thomæ, quos referunt, & sequuntur NN. Salm. in hoc tract. disp. 18. à num. 7.

Et probatur ratione fundamentali: Nam pœna sensus peccatis debita est inæqualis: ergo etiam pœna damni. Antecedens est apud omnes catholicos indubitatum. Et consequentia probatur: nam ideo pœna sensus est inæqualis, quia peccata sunt inæqualia, sed hæc ratio probat, quòd pœna damni fit inæqualis: ergo si pœna sensus est inæqualis, etiam pœna damni. Minor probatur: tum quia inæqualitas supplicij peccatis inæqualibus debita debet attendi non solum secundum pœnam minùs principalem, sed etiam secundum pœnam maximam & principalem; sed pœna damni est maxima & principalis, & pœna sensus est minùs principalis: ergo eadem ratio, quæ probat, penam sensus esse inæqualem, ostendit etiam pœnam damni esse inæqualem. Tum etiam: quia aliàs tanta foret pœna damni in puero non baptizato, quanta est in Iuda.

53 Huic rationi respondet doctissimus Ferre in hoc tract. quæst. 8. à num. 926. carentiam visionis non esse penam formaliter, sed tantum obiectivè, inquantum scilicet infert dolorem, & tristitiam, in quibus actibus consistit formaliter pœna damni. Porro eadem carentia visionis potest considerari dupliciter, vel secundum se, vel prout infligitur propter plura, & graviora peccata: primo modo accepta causat æqualem dolorem in omnibus damnatis: ceterum si consideretur ad inæqualia peccata, sic causat inæqualem dolorem: quia ex maiori odio Dei infligitur gravioribus peccatis, ex quo resultat etiam gravior dolor. In summa dicit, quòd carentia visionis in se est æqualis in omnibus, nec suscipit magis, & minus: suscipit tamen magis, & minus ex prædicto capite inquantum illativa doloris. Ex qua doctrina tenetur concedere, & defacto concedit num. 929. quòd pueri in limbo patiuntur aliquem dolorem ex carentia visionis beate promanatum.

Hæc evasio cum pace tanti viri plura continet falsa. Nam imprimis falsum est, dolorem, qui causatur ex carentia visionis beate, esse ipsam pœnam damni formaliter: quia dolor originem ducens ex prædicta carentia est spiritua-

lis, actusque elicitus à voluntate; sed actus elicitus à voluntate nequit habere rationem pœnæ, iuxta dicta num. 10. ergo falsum est, quòd pœna damni consistit formaliter in dolore. Pro quo videatur dicta num. 16.

Ex quo inferitur, falsum etiam esse, quòd pœna damni non consistat formaliter in ipsa carentia visionis beate. Tum quia alioquin anima nostra, & Angelus non essent capaces alicuius pœnæ formalis sive sensus, sive damni, cum malum illatum sive pertinens ad pœnam sensus, sive pertinens ad pœnam damni tantum habeat ex se rationem obiecti pœnæ, seu doloris, & dolor spiritus non nequit habere rationem pœnæ. Tum etiam: Nam carentia gratiæ, & auxiliorum iuxta perpetuam doctrinam D. Thom. quam amplectitur laudatus Magist. n. 1268. habet rationem pœnæ, sive sequatur dolor propter proximè dicta, sive non sequatur, aliàs nec obiectivè esset pœna, vt ipse fatetur: ergo idem dicendum est de carentia visionis beate. Tum denique: Nam probabilius est, pueros in limbo existentes nullum habere dolorem ex carentia visionis beatificæ, vt infra videbimus; & tamen omnes fatentur habere penam damni: ergo carentia visionis habet formaliter rationem pœnæ, & non tantum est obiectum pœnæ. ¶ Adde: Nam si vera est doctrina huius Magistri, & nostra tradita circa dolorem, quòd non habet rationem pœnæ, sequitur necessariò, quòd anima in purgatorio habeat maiorem pœnam formaliter pro minimo peccato veniali, quam puer existens in limbo, eò quòd iste nullam habet formaliter pœnam; & illa habet veram, & propriam penam sensus, cum patiatur malum positivè inflicivum, & sentiat dolorem ex eo, hoc non potest admitti: nam maiori peccato, quale est originale, maior pœna tam obiectivè, quam formaliter debet correspondere: ergo.

54 Respondent alij nostræ rationi, totam inæqualitatem peccatorum stare ex parte conversionis. Et propterea sufficit, quòd detur inæqualitas in pœna sensus, quæ correspondet vnicè conversioni. Adde: Nam licet detur inæqualitas ex parte averfionis, adhuc non debet correspondere defacto pœna inæqualis damni: quia hæc est impossibilis, cum sit privatio in facto esse; & aliunde pœna maior, quæ graviori peccato debetur, adhuc ex parte averfionis potest compensari per penam sensus.

Sed hæc evasio, ex qua parte denegat peccatis inæqualitatem ex parte averfionis, refellitur. Tum quia non potest negari, quòd maior intensivè est averfio peccati mortalis personalis, quam originalis: & propter hoc nullus negat, dolorem causatum ex carentia visionis, & debitum peccato originali, vel nullum esse, vel esse longe minorem, quam dolorem ex eodem capite debitum peccato mortali personali: ergo tota inæqualitas peccatorum non fiat præcisè

ex